



Hic liber est meus  
Tessis est Deus,  
Quis illum querit,  
Nonen hic erit.

Ego

Anno 1840 d<sup>o</sup> 20 Octob<sup>r</sup>

Herii Palp

Clavis aluminis

1854

die 5 Februario



Pug Almonat

Res veritatis

Misericordia nostra  
vita misera

EMMANUELIS  
ALVARI  
E SOCIETATE JESU  
DE CONSTRUCTIONE  
OCTO PARTIUM  
ORATIONIS  
*LIBER II.*

*Pr. IN USUM Michaelis*  
MEDIAE, ET SUPREMAE  
GRAMMATICES CLASSIUM



*EX INDULTU SUPERIORUM*

---

Typis Constantii Csik Somlyóviensis 1830.

Grammatice reliquis elementa  
viamque ministrat Artibus, et so-  
lido cunctas fundamine fulcit.

*Syntaxis* est recta partium ora-  
tionis interse compositio.

---

Multo labore, assiduo studio,  
varia exercitatione, pluribus expe-  
rimentis, altissima prudentia,  
praesentissimo Consilio constatars  
dicendi sed adjuvatur his quoque  
praeceptis! — — etc.

*Quintil.*

---

# P R A E F A T I O.

**S**YNTAXIS Alvarinæ Regulis *Notas*, quas Tyronibus vel utiles magis, vel necessarias existimabam, subjici ex causa: ut, nescio, qua *Explicata Syntaxi*, aliisque Grammaticis subsidiis tuto jam carere, sumptibusque huc faciendis parcerre possint cum Discipuli, tum Praeceptores. In his *Notis* Latina potius, quam Vernacula utendum duxi, quod, et confirmatione jam latinitate sint discentes, et plana sint pleraque, nec difficilis intellectionis.

Appendices tertii generis, quae e scholiis seu animadversionibus, quas suis Appendicibus Alvarus ipse subjunxit, excerpta sunt, Charactere *Cursivo* expressimus; ut nota esset, eas quidem explicandas, non item memoriae mandandas. Cum enim, ut singulas examinanti patebit, nihil aliud habeant, ac Regulas quasdam, licentias, queis usi sunt Classici, excusandi; vel Præcorum Comicorum maxime, uti et Poetis ac Historicis usitata, Oratoribus vero interdicta loquendi genera; vel figuratas quasdam Constructiones; vel singularis cujuspiam verbi idiotismum singularem pertractent; hoc edificendi la-

## P R A E F A T I O.

bore sine noxa levabuntur Discipuli.  
Namque qui Varronem olim, et Plautum,  
et omne genus Poetarum, ac Historico-  
rum pervoluturi sunt, suapte e multiplici  
lectione haec animadventent; cum iis ve-  
ro, qui studia humanitatis deserturi sunt,  
praeclare agetur, si summas Alvari Re-  
gulas utcunque condidicerint.

Etsi vero Regulas de Generibus, ac  
Declinationibus Nominum, et Verborum  
Praeteritis, jam in inferioribus duabus  
scholis exhaustas esse oportuit, adjecimus  
tamen; ut dubitaturi fortasse, easdem  
prompte consulere possint.

---

DE GENERIBUS NOMINUM,

*Quae ex Significatione cognoscuntur.*

**Q**uae Maribus solum tribuuntur, mascula sunt.

Mascuia censemuntur, Specie depicta Virili.

Et quibus Appositum tantum tribuisse Virile.

Credibile est Veteres, ut: latro, praefus et Hospes.

Foemineum dices, quod foemina sola reposcit.  
Jungito Foemineis muliebri praedita forma.

Quaeque Adjectivum tantum muliebre requirunt.

Quae Neutro Apposito gaudent, Neutralia sunt.

Est Commune duum, sexum quod claudit utrumque

Articulo gemino; veluti: bos, fortis, et hostis.  
Antistes, Juvenis, Vates, Patruelis, et infans,  
Affinis, miles, cum civi, cliente, Sacerdos,  
Et Comes, atque Canis, sus, dux, Auctor-  
que, Parenisque.

Municipi, conjux, adolescens, augur adhaerent.

Est Comune trium, Generi quod convenit Omni.

Pro Maribus pugnant Menses, Montes, Fluviique.

Insula Foeminea, Urbs, Regio, cum nave Poësis.

Faeminea est arbor: foliis *oleaster* amariis.

Mas est; Hoc Acer, atque Siler, cum Sube-  
re robur.

**U**M Neutris junges, Hominum si Propria  
demas.

**A** Plurale Genus neutrum sibi poscit ubique.

No

Nomen in *I* Maribus, si sit plurale, reserva.  
Trade notas neutrii, et vocem pro nomine  
sumptam.

Et verbum quodvis nuda pro voce repostum.

## De Generibus Nominum,

Quae ex Terminatione cognoscuntur.

**F**aenineum *A* primae est: veluti panthera,  
fagitta.

Adria mas Esto, cui junge, Cometa, planeta.  
Hic Mammona petit: Pascha hoc cui jungito  
Manna.

Nomen in *A*, ternae Neutrum est, ceu stig-  
ma, toreuma.

*E* latiale petit neutrum; ut: praesepe, monile.  
**F**aemineum est, Aloe Rhodopeque, et cetera  
graeca.

*I* Neutris tribue: *O* Maribus, ceu pugio, gummi.  
Est *Io* Foemineum Verbale, aut corporis expers.  
Cui caro jungatur, coenatio, portio, quodque.  
Desinit in *do*, *go*. Neutris adscribito pondo.  
Harpago, Cudo, Ordo Mas, udo, Caldo, ligoque.  
*U*, *C*, *D*. da Neutris, Velut: Id cum lacte, geluque.  
**L**, **T**. Sit neutrum: Hic mugil, sal, folque re-  
poseunt.

An, In, On. mas, Haec Sindon. icon, et Aëdon.  
Quéis alde alcyonem, neutris da cuncta secunda.  
En dabitur neutris. Sed hymen, ren Mascula  
lanto.

Et Splen, atque lien, atagen cum pectine  
lichen.

Postulat Ar neutrūm: cēu par cūm nectare-  
baç char.

Er maribūs dona: Laver hoc cūm tubere poscit,  
Über, iter, spinter, laser, cicer, atque papaver.  
Ver, siser, atque piper cūm Verbere, necte  
cadaver.

Or maribūs servit. Muliebris demitur arbor.  
Accedunt Neutris cor, ador cūmque aequore  
marmor.

Exigit Ur Neutrūm. Hic furfur cūm Vultūre  
turtur.

Faemineum As; Neutrūm vas vasis fasque  
nefasque.

Mascula sunt Elephas, adamas, as, atque tiaras;  
Cumque Vade, ac reliquis flectit quae prima  
Pelasgum.

Esto nomen in Es mulieb̄e, sed esto virile.  
Limes, pes, fomes, termes, cūm palmite, trames.  
Et gurges, merges, poples, cūm cespite vepres.  
Et paries, Stipesque meri nomenque diei;  
His Graecūm primæ, vel ternæ jungito nomen.  
Hippomanes neutris, Panaces, Cacoethes, ad-  
haerent.

Is dato foemineis. Mas sentis, piscis, aqualis.  
Anguis tum fustis, tum callis, follis, et ensis.  
Sic mensis, vectis, torris, glis, postis, et orbis.  
Et sangvis cenchris, collis cūm vomere cassis.  
Mugilis, atque lapis, Vernis, cūm fasce canalis.  
Unquis, tum cucumis, tum caulis, pulvis, et axis.  
Nis quoque finitum, cēu panis, et afse creata.  
Mascula in os sunt: Dos, cos, muliebris, et arbos.  
Da chaos, atque melos neutris os. argos, epos que-

Nomen in us mas est, seu quartae, sive secundae:

Forticus, atque tribus, muliebris: acusque manusque.

Alvus, humus, vannus, colus, idus, carbasus addes.

Et domus, et ficus pomum, mas morbus habetur.

Plurima in Os graeca. Aufonii, fecere latina.

Quae maribus partim, ut: Prologus, paradisus adhaerent,

Partim foemineis; veluti: diphongus, eremus.

In neutrīs numera virus; pelagusque profundum.

Postulat Us neutrum, quoties id tertia flectit.

Hic Lepus, et mus, pus graecum composta-  
que junges.

Sit tibi Foemineum: lagopus herba, volueris.

Cum tellure palus, subscus, pulcherrima virtus,

Atque salus, pecudisque pecus quibus addi-  
tur incus.

Quaeque sibi servus, juvenisque, senexque  
jugarunt.

Aes tibi sit neutrum: Laus, fraus muliebria funto.

S. dato foemineis, si confona ponitur ante.

Esto virile rudens, fons, pons, seps, lethifer  
anguis.

Mons, dens, atque chalybs, assis quibus addi-  
to partes,

Et polysyllaba ps, forceps dematur adunca.

X dato foemineis; sed eryx, grex mascula funto.

Et spadix, bombix vermis, cum fornice, phoenix,

Atque calix, coccix, et orix, varixque calixque,

Praeterea volvox, quicunx, septunxque, de-  
unxque.

**A**x, ex, finitum polysyllabon, esto virile.  
Foemineum: thomex, halex, cumsmilace, fornax,  
Et forfex, vibex, carex adjunge supellex,  
Mobile fit fixum si fixum mente subaudis,  
Unde genus capit, ut: Sonipes, oriensque,  
tonansque.

Mobile fit neutrum, ni fixum mente subaudis.

*De Generibus nominum quae ex usu et auctoritate cognoscuntur.*

Respicimus fines non significata frequenter.  
Zeugma, Reate ideo petit hoc, cum tibure, cere.  
Martius Hic narbo, braccatae gloria gentis.  
Hoc praeneste, hispal. sulmo bic uberrimus  
undis.

Haec Damata diu Romanis Allia fastis.  
Respicit interdum nomen generale Poeta;  
Unde sibi merito genus inferiora capessunt:  
Sic volucrem sequitur bubo, sic flumen Jader.

*De Nominibus incerti Generis.*

Haec modo foemineis, maribus modo juncta  
videbis.

Grofsus, adeps, atomus, limax, cum torque,  
phaselus.

Scrobs, serpens, finis cum corbe, diesque,  
tubusque.

Postulat Hic aut Hoc merito nar, vulgus, et anxur.

*Nomina Masculina apud Oratores, quibus  
Poetae: interdum in Genere muliebri utuntur.*

Mascula Bubo: Specus, cortex, cum pumice, pulvis.  
Et calx pars pedis, atque silex, cum margo,  
palumbes:

Proferet haec caute juvenis muliebria vates.

*Nomina fere faeminina apud Oratores, et  
interdum masculina, praecipue apud Poetas.*

Est muliebre aminans, volueris, cum stirpe,  
cupido,  
Sardonychen comitatur onix, grus, elunis, et ales.  
Cum talpa, linter, cum dama, linxque penusque.  
Haec maribus tribues, cinget cum tempora  
laurus.

Hunc Jubarem, hunc frondem, hunc pinum  
nimiumque vetusta.

Pacuvii Proavis, Atavisque utenda relinque.

### *De Genere Epicaeno.*

Articulo sexum, quae complectuntur utrumque.  
Uno, *Epicena* vocant Graji: *Promiscua Nostris.*

## DE DECLINATIONIBUS NOMINUM

### REGULAE GENERALES,

**N**omina Composita inflectes ad simplicis instar.  
Ast in Compositis flectes tantum modo rectum:  
Si recti duo sint, tunc declinabis utrumque.  
Sunt Neutris similes tres Casus: nempe Vocandi,  
Primus cum Quarto. Similem Pluralia Sexto,  
Tertium habent Casum. Primo par Quintus  
habetur.

A Recto semper Genitivus flectitur: Omnes  
Obliquos reliquos Genitivi inflexio format.

### *Prima Declinatio.*

Rectus *A*, sed Genitivus in *AE* fit flexio prima.  
Patrium in *as*. Veteres; *ai* vertere Poëtae.  
Tertius, et Sextus dant *is*; *Equa*, *Filia*, *Mula*,  
*Nata*, *Dea*, et *Liberta*, *duae*, dant *abus* et *ambae*.

Al

## Secunda Declinatio.

Altera *us*, *um* facit, aut *er*, *ir*, *ur*. sed Patrius exit.

Semper *ius*; verum *ius*, habent; *Uter*, *ulus*, et *Unus*.

*Alteruter*, *nullus*, *neuter*, tum *solus*, *uterque*,  
*Alterius*, cum *totius*, Genitivus *Alius*.

In *Dandi* casu dant *i*, Pronominis instar.

Sunt *Rectus*, *Quintus*que pares. *Us* habentia  
Rectum,

Hoc in *e* commutant: *Deus*, *unus*, *semper*  
et *idem*.

*Filius i*, poscitque meus: cui propria junges.

## Tertia Declinatio.

Tertia multimodis inflexio finibus exit;

At semper Genitivus in *is*: Sermonis ovilis.

*Usus* multiplices formas, et Lexica dicent.

## Accusativus Tertiae.

Terminat *em* Quartus, testem pro teste capesset.

*Im* contrafaciunt: *buris*, *vis*, *pelvis*, *amussis*,

Et *Cucumis*, *sitis*, et *ravis*, *tussi* adde *Securim*,

*Hispalis*, et *Tiberis*, *Zeuxis*, et *Propria* quaedam.

His junges *Tigrim*, *Syrtim*, quibus adde *Charibdim*,

*Em* dat et *Im*. *Navis*, *Clavis*, *Sementis*, *Aqualis*,

Et *puppis*, *febris*, *turris*, cum *Canabe* restis.

## Ablativus.

Sextus e finitur, *Cicerone*, ac *Caesare* teste.

I vero cupiunt, quibus *im* tantummodo quanto est.

Adjectiva in *is*, aut *e*, vel *er*, tum Nomina *mensis*:

*Mugilis*, atque *Memor*, *strigilis*, quibus ad-  
de canalis.

Et quae Neutra petunt *e* vel *al*, vel *ar*, *i*  
quoque poscunt.

Sed dat *e* *far*, *bahcarque*, *jubar*, cumque  
hepate nectar.

Mobile vult *e*, vel *i* generi quod convenit omni,  
Deme *Senex*, *puberque*, *bipes*, cum *paupere* *sospes*.

*Ens*, aut *ans*, mediusque gradus per *e* cre-  
brius exit.

Huc *vectis*, *postis*, *classis*, fert *angvis*, et  
*Ungvis*.

*Imber*, et *ignis*, et *amnis*, *avis* cum fine *supellex*.  
Et *Vitrix*, *ultrix*, et *rus*, *civisque*, *tridensque*,  
*Fixaque* *Mobilium* quaedam retinentia formam.  
*I* donant sexto; *Proprium* per *e* rectius effert.  
*Praeter* *e* nil sexto; poscunt, *volucrisque*,  
*rudisque*.

#### *Nominativus Pluralis.*

Rectus Pluralis cupit *es* sic flecte *Parentes*.

Semper *a* Neutra volunt, si sextus donet *e*  
tantum,

Ast *ia* queis *e* vel *i*; Sic *Vectigalia* dices.

Deme gradum medium, ut, *majora*, et *pla-*  
*ra*, *vetusque*.

#### *Genitivus Pluralis.*

Pluralis Patrius facit *um*, sic flectito *florum*.

Contra in *ium*: quibus *i* postrema est syllaba  
*Sexti*,

Aut *e* vel *i* praeter *vetus*, et *memor*, *uber*,  
*inopsque*.

*Degener*, et *Celer*, et *dives*, *supplexque*, *pa-*  
*rensque*.

Cum

Cum gradibus mediis; sed *iūm plus, pluris,*  
*habebit.*

*Es et is optat iūm, patrio;* et parisyllaba recto.  
*Um retinent: vates, panis, juvenisque, Canisque.*  
Nomina *iūm faciunt*, quae duplex consona finit,  
Ut: *Mons, Urbs, superadde Uter, Samnisque*  
*Cohorsque.*

*Et linter, dos, cos, faux, vas, caro, ven-*  
*ter, et alpes.*

Ex *Glis, lis, as, mas, nix, nox, os, lar, lariumque.*  
*Um, dat, iūmque simul genitivus syncopa,*  
*et Usus.*

### Dativus Pluralis.

Tertius est in *ibus. Bobus, seu dicito bubus.*

### Quarta Declinatio.

Quarta dat *us*, dat et *u*; donec plurale videbis,  
*U* non mutabis; sed *ui* sibi tertius optat,  
*Um quartus: Recto par quintus: sextus in u sit.*  
Primus pluralis, quartus, quintusque per *us* fit.  
Dant *ua*, neutra per *u*, tonitru, Cornuque,  
genuque.

Patrius optat *uum. Cum terno Sextus ibus dat.*

*Arcus, ubus, specus, atque lacus, partus-*  
*que, veruque,*

Verum quaestus *ibus, vel ubus, portusque*  
*requirit.*

### Quinta Declinatio.

Quintae rectus in *es* ut: *Spes, Genitivus in ei.*  
Se format, vel in *e*. Requies vult et *is*, et *ei*.  
Tertius est similis Patrio: sed quartus in *em* fit.  
Est Primo quintus similis, sed *e* sextus habebit.  
Primus cum quarto, et quinto Pluraliter *es* dant:  
*Erum* vult Patrius: cum Sexto tertius *ebus.*

SYN.

## SYNCOPE.

Pluralem Patrium decurtat syncopa graeca.

Pro *Veprium Veprum* dices, cum Carmina panges.

ANOMALA ( SEU DEFECTIVA. ) I. NUMERO: *A*) *in genere.*

Propria vix unquam numero flectenda Secundo.  
Ni careant primo: ni plures nominis extent  
Eiusdem: ni sint Appellativa, minorque  
In primo Numero gravitas, aut Emphasis adsit.  
His junges *liquida*, et *frumenta*, *metalla*,  
*legumen*,

Cum *minerali*, *herbas*, et *aromata* quaeque  
vel *ulnis*,

Vel *libra* venduntur; at *hordea*, *balsama*, *demes*  
*Vina*, *Crocos*, *electra*, *sales*, *orichalca* *lupinos*,  
*Aera*, *fabas*, et *thura*, *pices*, *Zizania*, *ceras*,  
Farraque cum *pisis*, et *mella*, *Papavera*, *Avenas*,  
*Rutas*, *malvas*, *musta*: usus te plura docebit

ANOMALA ( SEU DEFECTIVA NUMERO. ) *B*) *in specie.*

1.) *Masculina Singularia tantum, aut raro Pluralia.*

Mascula plurali quaedam spoliata leguntur,  
Nempe: *fimus*, *sangvis*, *pudor*, *aer*, *portus*,  
et *aether*,

*Hesperus*, et *Cestus*, *limus*, *sopor*, addito  
*nemo*,

Et *Vesper*, *muscus*, *viscus*, prolesque diei.  
( id est *meridies*. )

2.) *Foeminina singularia tantum, aut raro Pluralia.*

Posteriore carent numero muliebria: *Bilis*.

*Far-*

Fama, lues, pituita, fames, fuga, gloria, tellus,  
Alvus, humus, sitis, atque salus, plebs, ta-  
lio, pubes,  
Lux, cholera, et tabes, et pleraque Nomina  
Quintae,  
*Quaeque aliquod vitium, aut virtutem Nomi-  
na signant.*

3.) *Neutra singularia, aut raro Pluralia.*  
Ver, pelagus, barathrum, viscum, nihilumque,  
penumque,  
Lethum, justicium, (*seu juristitium*) fel,  
coenum, vulgus, et aerum,  
Manna, solum, virus, gluten, callumque, lu-  
tumque,  
Adde gelu, tabum, solium, pus, fasque,  
nefasque.

4.) *Masculina pluralia aut raro singularia.*  
Mascula sunt quaedam numero contenta secundo.  
Liberi, et Annales, Natales, atque Penates,  
Manes, et Lemures, Fasti, Proceresque, La-  
resque,  
Antes, Cancelli, loculi, quibus addito ludos.  
Et propria: ut Gabii, locri, Veji, atque Philippi.

5.) *Foeminea Pluralia, vel raro Singularia.*  
Foeminea Haec Numero sunt despoliata priore:  
Nundinae, et induiae, Nonae, Idus, atque  
Calendae,  
Copiae, et Illecebrae, grates, direque, genæque,  
Antiae, et exequiae, cunae, valvaeque, mi-  
naeque;  
Litterae, et inferiae, lactes, nugae, atque te-  
nebrae,

Primitiae, insidia, tricaequae, manubiae, o-  
pesque,  
Vindiciae, thermae, gerrae, quibus adjice  
Scopas,  
Divitias, et suppecias, ac Oppida multa;  
Ut: Thebae, et similes, quarum pars maxi-  
ma Grajae.

6.) *Neutra Pluralia; vel raro Singularia.*

Pluralem tantum Numerum Sponsalia poscunt,  
Tempora cum Castris, aestiva, cibaria, rostra.  
Cumque utensilibus, magalia, moenia, transtra,  
Hibernis, sata, tesqua, juga, et Cunabula junges.  
Festa quoque, et Ludos, et significantia libros,  
His aliquas Urbes adde, et Numeralia plura.

II. ANOMALA GENERE ( GRAECIS HETEROGENEA )

In Numero Primo sunt mascula Nomina quædam.  
Neutra in Plurali, sic Baltea, Balteus optat.  
Masculum, neutrumque genus pluralia poscunt:  
Sibilus, effectus, sensus, locus, acta, jocique.  
Carbasus in Numero Plurali Carbasa donat,  
Sic genus admittit neutrum Plurale, Supellex.  
Mascula sunt numero Cœlum Argosque Secundo.  
Sed rastra, et rastros, et frenos, frenaque dices.

III. ANOMALA DECLINATIONE. (GRAECIS *Heteroclita.*)

Vas vasis terni est, Vasorum Vasa secundi  
Ordinis; at contra in Plurali jugera terni;  
Nonnullos casus ex ordine sumit utroque.

IV. ANOMALA ( seu Defectiva ) CASU

Sunt quaedam unius casus, nonnulla duorum,  
Quatuor, atque trium, ex usu discenda Magistro.

APPENDIX *Adjectiva Deficientia.*

Haec per *a* non formant Neutrum Plurale  
bicuspis,

Immemor, atque vigil, perpes, praepesque,  
cicurque,

Ales, liebesque, teres cum pauper, degener;  
addes:

Impuber, uber, locuples pariterque tricuspis,  
Dives, inops, memor, atque reses cum desi-

de, supplex,

Junige bipes, flospesque, tripes, vèges; atque  
superstes.

---

## DE GRAECORUM NOMINUM DECLINATIONIBUS.

*Prima Declinatio.*

Graecorum nominum prima declinatio in *as*; *es* vel  
terminatur, ut *Æneas*; *Anchises*, *Epitomae*. Formantur  
ut in paradigmatis sequentibus.

Nom. *Æneas*. G. *Æneæ*. D. *Æneæ*. Acc. *Æneam*. V.  
ô *Ænea*. Abl. ab *Ænea*. *In plurali ut in Latinis.*

*Nomina in es ut;*

Nom. Anchises. G. Anchisæ. D. Anchisæ. Acc. An-  
chisen. V. ô Anchise. Abl. ab Anchise. Num. Plur. Anchis-  
æ etc. Déclinare item potest more Latino: Anchisa, etc.

*Nomina in e tit:*

Nom. Epitome. G. Epitomes. D. Epitomæ. Acc. Epi-  
tomen. V. ô Epitome. Abl. ab Epitome. Plur. Num. E-  
pitome. G. Epitomarum. D. Epitomis etc. more solito.

*Nota 1.* Latina eadem declinatio fit, ut Epitoma, Epito-  
mæ, Epitomam; etc. sic Grammaticæ, Dialecticæ, Rhétoricæ.

*Nota 2.* Hebræa nomina instar Latinorum flectuntur;  
ut: Mathias, Mathiæ, Mathiam; etc. sic Abrâham, Ju-  
das, Thomas.

*Secunda Declinatio.*

Secundæ declinationis rectus exit in *os*, *on*, *eus*.

*Nomina in os declinantur, ut:*

Nom. Menelaos, vel Menelaus. G. Ménélai. D. Men-

Iao. Acc. Menelaon, vel Menelaum. V. ô Menele. Abl. a Menelao. Sic: Timotheos, Pamphilos, Delos, Rhodos, Pathimos. Lesbos, Abydos, Papyros, etc.

*Nomina in on, ut:*

Nom. Hion. G. Ilii. D. Ilio; Ac. Ilion. V. ô Ili. Abl. ab glio. Sic: Mysterion, Symbolon, Encomion, Enchiridion, etc.

*Nomina in eus, us:*

Nom. Orpheus. G. Orhei. D. Orpheo. Ac. Orpheum, vel Orphea. V. ô Orphee Ab. ab Orpheo. Sic: Perseus Nereus, Tereus, Tydeus, Enipeus, Theseus, Typhoeus, Achileus, Ulysses, etc. Hæc, quia Græcorum nominum quintæ declinationi respondent, Accusativum item in a faciunt.

*Tertia Declinatio.*

Tertiæ declinationis, ut apud Latinos, variæ sunt terminationes.

*Genitivus* vel in is exit Latina flexione, vel Græca in os, v. gr. Metamorphosis, vel Metamerphoseos; Paridis, Paridos; Erimantidis, Erimanthridos; Thetidis, Thetidos; Poesis, Poeseos; Genensis Geneseos etc.

Græca foeminina in o longum desinentia, faciunt in ius, cæteri casus Græci non declinantur, ut Manto, mantus; Sic: Echó, echus; Alectó, alectus; Calysó, Ió, Di-dó, Saphó, Clótó, Clió, Erato etc.

*Accusativus* desinit in em Latinum, a Græcum, v. gr. Hector, Hectorem, vel Hectora. Aer, aera; Æther, æthera; Clamys, clamyda; Heroa etc.

Nomina in is, vel ys foeminina, quæ apud Latinos genitivo non crescunt, in in vel im desinunt, v. gr. poesin vel Poesim; Charybdin vel Charybdim; Neapolin, vel Neapolim, Hæresim, Parænesim, Synderesim, Exe-gesim, Syrtim, Erynnim etc.

Quædam quadruplicem habent Accusativum, in im vel in in vel in m vel in a ut: Paris Paridis, Parin, Parim, Paridem vel Parida, Sic Iris iridis, Isis isidis, Thais thaidis etc.

*Vocativus* Latine similis est Nominativo; Græce plerumque s Nominativi abiicit; v. gr. ô Palla, Calcha, Amarilli, Tyndari, Capi, Melampu, etc.

*Ablativus* exit in *i* eorum nominum, quae faciunt Accusativum *im vel in*, v gr. Poesi, Mathesi, Syndesi. Tribachi, Syrti, Hæresi, Syntbxi etc.

*Genitivus Pluralis Latinæ* in *um* Græce in *on* desinit, v gr. Epigrammaton, Hæreseou etc.

*Dativus Pluralis* a nominibus in *ma*, *atibus* facit, aut *atis*, v gr. Thema, thematibus; vel thematis, Emblematis, Stigmatis, Poematis, Glaucomatis etc.

*Accusativus Pluralis* exceptis neutrīs in *as* desinit, v gr. Tros, Trois, Troas, Delphinas, Crateras etc.

## De PRÆTERITIS, et SUPINIS VERBORUM.

### I. REGULÆ GENERALES.

**S**implicium leges ferme conjuncta sequuntur. Hinc aliqua excipies; quorum meminisse juvabit. Cum geminat primam simplex, composta priorem.

Praeteriti amittunt: praeter praecurro, repungo: Quaeque sibi gignunt Sto, Do, cum Poscere Disco.

Praeteritis quaecunque carent, spoliato Supinis: Ut glisco, vergo, ferio, cum polleo, vado, Ambigo, cum satago, quaeso; quibus hisco, fatisco, Et furit, et moeret, tum aveo, tum ringor, et ajo;

Et vescor, liquor, medeor, reminiscor adauge: Insuper a Verbo seu Nominē nata: tēpesco, Mitesco veluti, queis nomen ab incipiendo; Aut certe capiunt a Verbis, unde trahuntur His, dempto Esurio; junges Meditantia Verba:

### II. REGULÆ SPECIALES. PRIMA CONJUGATIO.

Praeteritum Primæ facit avi, atumque Supinūm Ut neco; nam *necui* *nectum* sibi pignora servant:

At cubui, domui, crepui, vetuique supinā  
Dant *in itum*, ut cubitum. Hæc tonui, sonui-  
que sequuntur.

**M**, Cubo cum recipit, tantum tibi *tertia flectit*;  
Ast id Praeteritis expungitur, atque Supinis.

**D**imicat *avi, atum*, micuī nil amplius optat.

**A** fricui frictum, a secui deducito sectum.

**A** lavi lotum, autum, nec sperne lavatum.

**E**x Lavo compositum, ceu Diluo, *tertia poscit*.

Potatum a Poto, seu potum flectito. Juvi,

**A** Juvo praeteritum *tantum*; sed ab Adjuvo  
*jutum*.

**D**at Plicui, Plicitum: Compostum poscit u-  
trumque.

**S**upplicat *avi, atum*, Replicoque, et Nomine  
nata.

**D**o, *dedit*, atque *datum poscit*, compostaque  
Primae.

Quæ *venum, pessum, circumque, satisque*  
crearunt.

**A**st *didit*, atque *ditum faciunt*, quæ Tertia  
flectit.

**A** Sto flecte Steti, Statum; *Stiti* at inde pro-  
fecta,

Atque *Stitum cupiunt*, multo sed crebrius *atum*.

### *SECUNDA CONJUGATIO.*

**A**ltera Praeteritis dat *ui*, dat *itumque Supinis*.

**U**t: Moneo, Taceo; sed *tostum Torreo gignit*.

**S**orbeo cum sociis dat *ui*, tamen absque Supino.

**A**rceo *ui tantum*; sed *itum sua Pignora poscunt*.

**A**Doceo doctum, a Teneo deducito tentum.

**C**enseo fert Censum; mistum tibi Misceo donat.

**N**eutrum, quod dat *ui*, Timeoque carento  
Supinis.

Poseit *itum* Valeo, Careo, Placeoque, Doletque:  
 Pareo, cum Jaceo, Caleo, Noceoque, Licetque.  
 Dant *di*, *sum*, Video, sedeo, cum prandeo;  
 verum

S geminat sessum; Stridi nil postulat ultra.  
 Mordeo Praeterito geminato flecte *momordi*,  
*Morsum*; Sic spondet, tondet, sic pendeo flectes.  
 Dant Maneo, et Proles, *si*, *sum*; sed *ui* Emi-  
 net optat,  
 Praeminet, Immineo, cum Prominet absque  
 Supino.

Haereo dat *si*, *sum*, cum svadet, mulcet, et ardet,  
 Tergeo, cum mulget, ridet, sed torqueo *tortum*.  
 Vult Jubeo, *jussi*, *jussum*; ast indulgeo *si*, *tum*.  
 Urgeo *si* tantum, cum fulget, turget, el alget.  
 Lugeo, Praeteritum *luxi*, *luctum* que Supinum.  
 Luceo duntaxat *luxi*, sic Frigeo, frixi.  
 Augeo Praeterito facit *Auxi*, *auctumque* Supino.  
 Evi, *etum*, Vieo, Flet, Net, cum Deleo, quæque  
 A Pleo nascuntur, ceu: repleo, suppleo, complet.  
 Civi sume *citum* a cieo: *citum* a cio quartae.  
 Nunc Oleo dat *ui*, dat *itum*, Compostaque,  
 odoris

Quae servant sensum: si non, evi effer, et *etum*.  
 Ast Abolevit *itum* dat: fert Adolevit, *adultum*.  
 Ex *veo* fit *vi*, *tum*, a Caveo deducito cautum.  
 A Faveo, fautum: tantum Conniveo, *vi*, *xi*,  
 Et Fervere, *bui*; sic Langveo, languit optat.  
 Et Paveo pavi, nil Flaveo, Liveo, habebunt.  
 Audeo nunc *ausus*, *gavisus* Gaudeo poscit.  
 Et Solitus soleo solui tibi Chrispe placebat.

## TERTIA CONJUGATIO.

J O.

Com-

Composita a Specio, aut Lacio dant exit, et ectum.

Elicui elicitum: a Feci deducito factum.

A Jeci jactum: dat Fodi S duplice fossum.

Vult fugi, fugitum, sapui, sapiive, nec ultra Progreditur Sapio. Cupio ivi giguit, et itum. Dat Capio cepi, captum; sed Coepio priscum Fer Coepi, coeptum. A Rapui deducito raptum. Dat Peperi partum, aut paritum, sunt Pignora quartae.

A Quatio, cussi, cussum composta tulere.

### U O.

Rite uo poscit ui, ac utum, sit Diluo testis.

A Ruo dic ruitum, sed utum dant Pignora tantum.

A Struxi, structum: a Fluxi deducito fluxum. Respuo, nulla Luo, Metuoque, Pluoque Supina: Innuo, cum Renuo, Batuo, Ingruo, Congruo gignunt.

Bo dat bi, dat itum; scabo, Lambo, carento Supinis.

A Scripsi, scriptum, a Nupsi deducito Nuptum.

### C O

Ici, fert ictum: A Vici depromito victum.

A pars, parsum, geminat quoque Parco, pepercis.

Duco cupit duxi, ductum: a Dixi exige dictum.

### SCO.

Sco: vi, tumque petit, ceu Nosco, Svesco, Quiesco.

Agnitus, Agnosco: cognosco jungitur illi.

Dat Pasco pastum: Conquexi linque Vetustis.

Ut Disco didici tantum, sic Posco poposei.

Dispesco dat ui; cum Compesco, absque Supino.

## D O.

Do, di, sum gignit, veluti defendere, cudo;  
 N tamen amittunt fundo, cum scindere findo.  
 S geminat fissum, ac fissum: dat pandere passum.  
 Tundo, petit tutudi, tunsum; sed pignora  
 tusum.

Sume Cado, cecidi casum: cape caedo, caecidi  
 Caesum. Dat Tentum, vel tensum, Tendo  
 tetendi.

Pendo pependit habet, pensumque; at Pedo  
 pepedi.

Tum Rudo, tum Sido, tum Strido carento,  
 Supinis.

Ex Do, das, didit, atque ditum dant Pi-  
 gnora Ternae.

Dant Si, Sum, Claudio, Laedo, cum Rodere,  
 Trudo.

Divido cum Plaudo, Rado, cum ludere: Vasi,  
 Ac Vasum a Vado capiunt sibi Pignora tantum.  
 Cedo petit Cessi; Cessum facit inde Supinum.

## GO. GUO. HO.

Dant xi, ctum GO, GUO, ut Rego: Plango,  
 Extinguo Supinis.

N tamen abjiciunt Stringo, cum Pingere Fingo.  
 Tango cupit tetigi, tactum: Egi, Ago, poscit,  
 et Actum.

Sume Pago pepigi, pactum: cape Pangere pauxi.  
 Olim etiam pogi, quod nunc composta reservant.  
 Dat Legi, lectum: Fregi dat frangere fractum.  
 Negligit exi, ectum, cum Intelligo, Diligo poscit.  
 Prodigio, Dego, egi: Suxi, Sugo absque Supinis.  
 Dat Pungo pupugi, punctum; dant Pignora ferme  
 Punxi. Vult si, sum Spargo cum Mergere Tergo:  
 dant

Dant *xi*, *xum*, Figo, Frigo; caret Ango Supino.  
 A *Traxi*, *tractum*, a *Vexi* deducito vectum.  
 Mejo cupit *minxi*, *mictumque*, a mingere  
 sumptum.

L O.

*Lo luit*, atque *litum*. Colo *cultum*, consul  
 gignit

*Consultum*: Occulit *occultum*; ast Alo poscit,  
 et *altum*.

Ante - carent - Cello, Praecello, Excello Supinis.  
 Et Volo cum sociis, sed *falsum* fallo *fefelli*.  
 Dic Psallo *psalli* tantum; cui junge *refelli*.  
 Ast *velli*; *vulsum*. Percello *perculit* optat  
*Perculsum*, *Pepuli*, *pulsum* dat, *Sustulit* atque.  
*Sublatum* Tollo: *Salli* fert sallere *salsum*.

MO. et NO.

*Mo per ui* dat *itum*; Tremo flectitur absque  
 Supino.

Dant, *psi*, *ptum*, Demo, Promo cum Sume-  
 re como.

*Emi* fert emptum: Premo, pressi, § duplice  
 pressum.

Dat *posui*, *positum*: *genitum* genuisse reposcit.

Dat *cecini*, *cantum*: *cinui* dant Pignora *centum*.

A Sino fit *sivi* atque *situm*; dat sternere *stravi*.

Ac *stratum*; sprevi, *spretum* dat spernere.  
 Cerno

*Crevi*; sed *cretum* cupiunt sibi Pignora solum.

Dat *tempsi*, *temptum*, Temno, si legeris  
 usquam;

Sed Lino dat *lini*, *livi*, levique, *litumque*.

PO. et QUO.

Po, *psi*, *ptumque* petit. Strepo sed strepui,  
 strepitumque.

**A Rupi**, *ruptum*. **A Coxi** deducito *coctum*.  
**Linquo sibi liqui** tantum: addunt Pignora *lictum*.  
**R O, SO.**

**Quaero**, *quaesivi*, *quaesitum*: **Curro**, *cucuri*,  
**Cursum**: tum *Verro*, *Versi*, *versumque* Supino.  
**A Gero** dic *gessi*, *gestum*: *trivi*, a *Tero*,  
*Tritum*.

**Ferre**, *tuli*, *latumque*; **Uro** dabit *ussit*, et  
*ustum*.

**A Sero** fit *sevi*, atque *satum*; *vi* rustica proles.  
Atque *situm*; *serui*, et *sertum* fert cetera turba.  
**So sivi**, *situmque* petit. Dat *Visere*, *visi*,  
Ac *Visum*. Incesso, *incessi*, tamen absque  
supino.

**Pinsitus**, ac *pistus*, *pinsusque* a *pinsuit* exit.  
**TO. VO. XO.**

**Xi, xum** dat Flecto, sed Pecto, *xi*, *xuit*, et  
*xum*.

**Necto** ferunt, Plectoque. Peto cupit *ivit*, et *itum*.  
**Stertuit** a *Stero* tantum; Meto messuit optat,  
Ac messum s *geminio*. Misi dat Mitto, Supinum.  
*S.* dupli missum. **A Verti** deducito Versum.  
Sisto, *stiti*, *statum*, Activum: Neutrale sequetur  
Sto Verbum; unde *stiti*, atque *stitum* sibi  
Pignora sument.

**A Vixi**, *victum*, a *Volvi* deflecte *volutum*.  
**Texui** amat Texo, ac *textum*: *solvi*que *solutum*.

#### QUARTA CONJUGATIO.

**Ivi, itum**, ut: Polio, Fastidio, Quarta requirit:  
Fert *Veni*, *ventum*, *Venio*; Sepelire, *sepultum*.  
*Singultum*, singultit amat: dat *Amixit*, *amictum*.  
Ex Pario natum per *ui* flectatur, et *ertum*.  
**Comperio**, reperitque tamen *ri* format, et *ertum*.  
Sancio dat *sanxi*, *sanctum*, quod format et *itum*.

Sentio vult, *si, sum.* *Sepsi* dat *sepio, septum.*  
*Hausi* fert *haustum.* Dat *Vinxi, vincio, vinctum.*  
*Fareio* dat *farsi, fartum.* Vult *Fulcio, fulsi,*  
*Ac fultum.* *Sarsi, sartum* dat *Sareio Verbum.*  
*Veneo* fer *venum, quod ferme veniit optat.*  
 Dat *salui, saltum;* Proles sibi vendicat *ultum.*

## DE PRÆTERITIS ET SUPINIS VERBORUM DEPONENTIUM,

Ex *or* finitis Activam fingito Vocem,  
 Ut: *Vereor, vereo, veritum;* fluit hinc *veri-  
tus sum.*

Ast *Fateor, fassus:* Patior, vult sumere *Passus.*  
*Nanciscor. Nactus:* dant *xus* duo Pignora Ple-  
 cto.

*Orsus ab Ordiri* deducitur: *Usus ab Utor.*  
 A *Reor esto Ratus:* Proficiscor sume *Pro-  
fектus.*

*Metiri Mensus* gignit: *Pactusque paciscor.*  
*Com-que-miniscor* amat *Commentum, Adi-  
piscor, Adeptum.*


*Ultus ab ulciscor* venit: Expergiscor habebit.  
*Experrectus;* et *Oblitum* obliviscor adoptat.  
 Dat *Labor, Lapsus:* Misereri funde *Miser-  
tus.*

Fert *Urus Loquor, atque sequor;* Queror ac-  
 cipe *Questus.*

Dat *Nitor, nixus, nisusve:* Gradi accipe  
*Gressus.*

Redde *Fruor, Fruitus:* Morior tibi *Mortuus*  
 haeret.

Nascor amat *Natus:* tandem fert *Ortus oriri:*  
 In tribus extremis per *iturus* flecte futurum.



DE  
INSTITUTIONE GRAMMATICA  
EMMANUELIS ALVARI  
LIBER II.

*Notis ad usum Juventutis illustratus.*

---

DE CONSTRUCTIONE  
OCTO PARTIUM ORATIONIS.

**V**erbum Personale finiti modi postulat ante se Nominativum aperte, vel occulte, ejusdem Numeri, et Personæ. *Cic. Si vales, bene est, ego quoque valeo. Terent. Quid stamus? cur non imus hinc.*

Nam Verbum infiniti modi ante se Accusativum habet. *Cic. Hunc quidem nimbum citto transiisse laetor.*

*Nota.* Etiam Impersonalia quædam Nominativum pertinent, quæ tamen *Defectiva* melius dicerentur, nempe personis præcipuis, prima, et secunda deficientia. Talia sunt: *ea res medelectat, juvat, id mihi libet, expedit, convenit etc.* In Passivis ut: *pugnat, luditur etc.* putant aliqui subintelligi Nominativos: *pugna, ludus, cursus etc.*

*Appendices I. Generis.*

I. Voces copulatæ sæpius Verbum Plurale desiderant. *Cic. Hic nobiscum sunt Nicias, et Valerius.* Interduum singulari contentæ sunt. *Cic. Mens, et ratio, et consilium in Senibus est. Quod intelligitur, etiamsi nonnunquam omittatur*

tur **Conjunctio.** Cic. *Frons, oculi, vultus* per-  
saepe mentiuntur, oratio vero saepissime.

**Nota.** Copulatæ voces sunt, per particulas copulativas: *et, que, ac, atque* etc. Inter se conjunctæ v gr. *Virtus, et honestas, et pudor cum Consulibus esse cogebat.* Sæpe etiam sine particulis copulatiyis reperiuntur voces copulatæ.

**I L.** Verbum Plurale nobiliorem Personam sequitur. Prima nobilior est, quam secunda: et tertia: secunda tertiae anteponitur. Cic. *Si tu, et Tullia, lux nostra valetis, ego, et svavissimus Cicero valemus.*

### Appendices II. Generis.

**I.** Prima, et secunda Persona ferme non explicantur, nisi cum diversa studia significamus.

Cic. *Ego capit is mei periculo patriam liberavi: vos liberi sine periculo esse non vultis.*

**Nota I.** Harum Personarum: *ego, ego, tu, tu* etc. odiosa esset repetitio, ac præterea inutilis, cum Latinus exitus: *Amo, as, at. Amamus, atis, ant* seipso suam Personam indicet.

**Nota II.** Diversorum studiorum nomine veniunt actiones contrariæ, ut: *laudo, vitupero Laboro, desideo Amo, aversor. Studeo, ludo* etc. *Tu diem ludo perdis, ego ad serum studeo.*

Aut cum plus significamus, quam dicimus, Cic. in *Verrem:* *Tu innocentior Metello.* tu plus significat, quam Verbum ipsum declarat.

**Nota.** Significat enim: tu Verres, homo rapacissime, scelerate, crudelis etc. Metello, temperatissimo, sanctissimo etc. innocentior? Sic: Nos hoc feramus? Id est: Liberi, Nobiles, Magistratus? a servis etc. Tu cum Apolline certes? Mirsia, inscite Faune, etc.

**II.** Verbum Infinitivum interdum partes Nominalivi agit. Terent. *Mentiri, non est meum.* Item: Verbum cum suo casu. Cic. *Vacare culpa, magnum est solatium.*

**X** Nota. Id in Verbis Defectivis, quae Impersonalia *vulgo* nominari diximus frequens est, ut: appareat esse commotum. Non me fallit, id te agere. Pœnitet, peccasse. Non me fugit, te inter meditari. Idem est de Verbo *Videor*, quando impersonaliter sumitur.

### Appendices III. Generis.

Poetae Verbo plurali utuntur aliquando intercedente praepositione Cū. Virg. Remo cum Fratre Quirinus jura dabant. Quin Verbum plurale præstantiori personæ reddunt. Virg. Divellimur inde Iphitus, et Pelias mecum. Quod Oratoribus usitatum non est.

## ADJECTIVUM cum SUBSTANTIVO.

**N**omina Adjectiva, Pronomina, et Participia cohærent cum Substantivis in Genere, Numero et Casu. Cic. Parva saepe scintilla contempta magnum excitavit incendium.

### Appendices I. Generis.

I. Substantiva conjuncta fere Adjectivum Plurale desiderant, ut: *Livius. Hippocrates et Epicides nati Carthagine, sed oriundi ab Syracuseis.*

Quodsi Adjectivum singularis sit Numeri, cum viciniore Substantivo in Genere, Numero, et Casu consentiet. Cic. Multorum arrogancia, multorum odia, superbici, et molestia preferenda est.

**X** Nota. Seu res animatae sint, seu inanimes, utriusque numeri, Adjectivum cum propriore concordari poterit, ut mox dicetur. v gr: *Video omnium ora, oculosque int me esse conversos. etc.*

**II.** Adjectivum plurale præstantius Génus sibi ven-

vendicat. Virile præstantius est muliebri et neutro, Terent. *Domus*, *uxor liberi inventi invito Patre*. Neutrum muliebri præfertur præcipue, cum de rebus inanimatis est sermo. *Sallust. His genus, aetas, eloquentia prope paria fuere. Idem: Divitiae, decus, gloria in oculis sita sunt.*

~~X~~ *Nota.* Itaque male diceretur: *muri, portae, tecta* combusti pro combustâ. 2. Si tamen omnia Substantiva feminina essent, erit itidem Adjectivum, ut: *Justitiae conjunctae sunt pietas, liberalitas, etc.*

III. Cum Substantivis rerum inanimatarum sæpe jungitur neutrum plurale. *Livius, Ira et avaritia imperio potentiora erant Cicero tamen fere proximi habet rationem*, ut: *Tibi omnium salus, liberi, fortunae sunt charissimae.*

~~X~~ *Nota.* Haec ratio expeditissima est, ne anxie conflictentur Tirones, aut haec in re, multam difficultatis inesse suscipiantur.

### Appendices II. Generis.

I. Participia: *dictus, factus, creditus, vi-sus, dicendus, et appellatus*, inter duo Substantiva diversi generis, et numeri posita, cum eo concordant, quod est basis, et fundamentum orationis. *Plin. Puteoli, Colonia Dia-cæarchia appellati.*

~~X~~ *Nota.* Basis, et fundamentum orationis est, de quo præcipue sermo est, et de quo ad quæstionem. *Quis?* respondetur v. gr. Ludi Megalesia appellati. *Quis appellatus est Megalesia?* &c. Ludi. Verbum caro factum est; *Quis caro factum est?* &c. Verbum.

II. Adjectivum fœmininum interdum respondeat viciniori Substantivo pluralis numeri. *Liv. Hoc Senatus consultum: litteræ equæ in Hetru-*  
*ri-*

*riam misae sunt. Si de rebus animatis sermo sit, satius est circuitione uti, hoc modo: Lucretia castissima fuit, qua virtute etiam ejus mancipium floruit; potius, quam Lucretia, et ejus mancipium casta fuere.*

*Appendices III. Generis.*

*Figurata constructio censenda est, cum apud probatos Auctores adjectivum cum minus praecipuo e duobus Substantivis consentit. Cic. Non omnis error stultitia dicenda est. Paupertas onus grave mihi visum est. Gens universa Veneti appellati.*

*Poetae Substantivis Praepositione Cum copulatis pluralem adjungunt. Ovid. Sors eadem Ismarios & Hebrum cum strymone siccatur. Ismarios Adjectivum est duorum fluviorum. Et sequuntur etiam generis praeflantiam, Ovid. Ilia cum Lauso de Numitore sati.*

**RELATIVUM cum ANTECEDENTE.**

**R**elativum: *Qui, quae, quod* concordat cum antecedente in genere, et numero. Cic. *Nemo nos amat, qui te non diligat.* Item Pronomina: *Hic, ifie, ille, ipse, is, idem* cum fiunt Relativa. Cic. *Venit mihi obviam puer tuus, is, mihi litteras a te reddidit.*

*Appendices I. Generis.*

I. Relativum: *Qui, quae, quod*, cum antecedenti præponitur, cum eodem, genere, numero, et casu, perquam venuste cohæret. Cic. *Quos cum Mario pueros miserias, epistolas mihi tulerunt.* Sæpius tamen Pronomen subjicitur. Cic. *Quam quisque norit artem, in hac se exerceat, ambo aut Urbe Thraciae Ismario.*

**+** *Nota.* Hanc non tam construendi Regulam, quam Collocationis elegantiam esse, breviusque, et venustius dici: *Populo placebant, quas feci fabulas*, quam: *ae Fabulae placebant, quas feci*. Hie collocandi modus, Nepoti, Ciceroni etc. quam frequentissimus est.

**II.** Quodsi inter duo Substantiva ponatur; cum alterutro consentire poterit. *Cic. Est locus in carcere, quod Tullianum appellatur.*

**+** Sic: Unus erat toto naturæ vultus in orbe, quem dicere Chaos. Herculi sacrificatum in loco, quem Piram appellant. Jovis. Stella, quæ Phaeton appellatur. Ad locum, quæ Pharsalia dicitur. Lunæ accessus, quod interlunium vocatur.

**III.** *Quantus, qualis, etc.* cum Relativa fiunt, non cum antecedente, sed cum consequente Substantivo consentiunt. *Cic. Dixi de te tanta contentione, quantum est forum.*

#### Appendices II. Generalis.

**I.** Nominativus et Verbum, Adjectivum, et Substantivum, Relativum, et antecedens interdum, maxime apud Historicos, et Poetas. sensu, et significatione concordant, etsi voce discordent. *Virg. Pars in frusta secant. Ubi ille est scelus, qui me perdidit, hoc est: ille sceleratus. Pars in ludos versi.*

**+** *Nota* 1. Vox *Pars*, Singularis Numeri, et Generis Fœminini est; significatio, Pluralis; et Masculini.

**+** 2. Talia sunt Nomina Collectiva, ut: *Turba* Quiritum. *Dēm placant, Populus clamant, convocant, tumultuantur.* Equitum *Turma* invasere castra. *Manus, maniplus* militum victoriam peperere. etc. *Pars* earum fœminarum volucres factæ. Huc pertinent Partitiva nonnulla, ut: *Pro se quisque de vi queruntur. Uter* meruistis pœnam. *Uterque* delunduntur. *Neuter* ad me accedatis. *Alter* in alterius saugine mactati: *Samnitum duo milia cæsi.*

II. Orationis membrum interdum vice antecedentis ponitur, idque in neutro genere. Cic. Pompejus, quod mihi summo dolori fuit, ipse se afflixit.

### Appendices III. Generis.

*Si plura antecedant Substantiva copulata, idem observandum, quod supra de Adjectivis dictum est Cic. Scis, quae vita nostra, quae squalitas, ad quae recuperanda per fortunas incumbe. Interdum redditur Relativum viciniori Substantivo. Cic. Mihi non venerat in mente, furorem, et insaniam objicere vobis, in quam incidistis.*

### SUBSTANTIVĀ CONTINUATĀ.

*Substantiva continuata, quæ ad eandem respectant, casu concordant, quamvis genere, et numero aliquando dissentiant. Cic. Tulliola, deliciae nostræ, tuum munusculum flagitat.*

*Nota. Substantiva continuata sunt, nullâ inter se copilante particula vincta, ut cum nomen generale Nominis proprio personarum, vel locorum, rerumque aliarum præmittitur, ut: Urbs Roma Rhenus fluvius. Mons Ætna etc vel interquæ Relativum qui adhiberi potest, ut: Scipiones; qui sunt duo fulmina belli, extinti. Cicero, qui est mel tuum, et oculus. Effodiuntur opes, quæ sunt irritamenta malorum.*

### Appendices III. Generis.

I. Interdum alterum genitivi est casius; quamquam alterum alio casu effatur. Cic. In Oppido Antiochiae, pro: in Oppido Antiochia. Celsam Buthroti ascendimus arcem, pro Buthrotum.

C:

I. Si e duobus Substantivis continuatis alterum sit proprium hominis, cum eo tam Verbum, quam Adjectivum melius concordat, ut Deliciae Aesopus ejusmodi fuit. Si vero proprium fuerit Locorum, ac rerum inanimarum, cum magis generali consentiet, ut: De Solis urbe, quae in Cilicia est, egerunt. Solidi, Solorum, nomen est Urbis.

~~X~~ Sic: Ungri Civitas Galliae fontem habet insignem. Volsonii Oppidum Thuscorum totum concrematum. Corioli Oppidum captum. Suburra Vicus hominibus confertus. Ludi Taurdia per biduum facti. Pergo ad delendam Urbem Vejos. Loci Civitas ampla excisa.

### INTERROGATIO, ET RESPONSIO.

Interrogatio, et Responsio casu consentiunt, ut: *Cujus est haec Oratio?* Ciceronis. *Cui Praeceptor i dediti operam?* Platonis.

~~D~~ Nota. Excipe, si de pretio, interrogetur. v. gr. Quanti emisti librum? Floreno, non Floreni. Item: si de Possessivis: *meus, tuus, suus, noster,* sit quæstio, v. gr. cuius est haec toga? *mea.* non *mei.* Secus dicetur: Antonii, Pauli etc.

### DE CONSTRUCTIONE VERBI ACTIVI.

V erbum Activum est, quod littera O finitum Passivum fit addita littera R, ut: *Amo, amor.*

#### PRIMUS ORDO ACTIVORUM.

Verbum Activum post se accusandi casum postulat. Cic. *Avus tuus amavit unice Patriam et Cives suos.* Talia sunt: *Amo, fero, lego, audio, doceo, edo etc.*

## SECUNDO ORDUS ACTIVORUM.

Quaedam Verba Activa præter Accusativum, personæ Genitivum admittunt poenam crimenve significantem. Ea fere sunt: *accusandi absolvendi damnandi*. Cic. *An non intelligis, quales Viros summi sceleris arguas?* Hujusmodi sunt: *Accuso, incuso, arguo, defero, arcesso, accerso, postulo, insimulo, coarguo; infamo, convinco, damno, condemnno*.

*Nota 1.* Rationem Regulae dant recentiores, quod sub Genitivo Criminis, per figuram Ecclipsis, seu omissionis subintelligatur Substantivum aliud, v. gr. Accusare aliquem sacrilegii, idem esse, ac propter crimen, vel de criminе, in criminе sacrilegii. Arcessere, deferre, postulare quempiam furti, subintelligi: *in causa, de causa, ob causam* furti, vel *actione* furti. Dicitur etiam: aliquem injuriarum, furti etc. agere. Intellige *rerum*.

*Nota 2.* Dicitur etiam accusare, aliquem Judici, Senatui, prætori, etc. vel *apud* judicem, senatum, plebem aliquem postulare, vel Judicio postulare.

*Appendices I. Generis.*

I. Genitivus criminis, maxime cum his verbis: *Accuso, arguo, postulo, insimulo, damno, condemnno, absolvo*, in Ablativum cum Præpositione de mutari potest. Cic. *Non committam posthac, ut me accusare de Epistolarum negligentia possis.* Hoc tamen nomen *Crimen* Ablativo sine præpositione effertur. Cic. *Si iniquuses in me Iudex, condemnabo ego eodem te criminie.*

Dicimus etiam capite aliquem damnare, punire, plectere. Cic. *Eum vos jurati capite damnatis.*

*Nota.* Praetor Capitis vix alios Genitivos Poenae cum verbis *damnandi* reperies praesertim illos, qui in-

strumentum pœnæ denotent. Nec enim dixeris: damnare quem crucis gladii, restis, fustigationis, virgarum, bestiarum etc. Sed ad crucem, restem, etc. Quod si oculi urerint ejusmodi Genitivi, ut: damnari exilii, suspendii, necis, etc. Per Ecclipsim intelliges ad pœnam.

2. Damnari voti, est consequi id cujus causa votum est factum, seu rerum fieri voti exolvendi.

II. Verba: *Absolvo, libero, alligo, adstringo, mulcto, obligo, obstringo* quemadmodum suapte natura Ablativum petunt, ita et Ablativum significantem pœnam, crimenve sine Præpositione admittunt. Cic. Ego me et si peccato absolvo, supplicio non libero.

Sic: Magno se scelere alligare, obligare, obstringere. Vitia hominum ignominiis, vinculis, verberibus, exiliis, morte mulcantur; Magno te piaculo adstringis.

#### Appendices I. Generis.

I. Non temere uti debemus Verbis accusandi etc. nec enim corripi, reprehendo, vitupero, culpo, castigo, punio, plecto, mulcto, excuso cum Genitivo criminis junguntur. Sic: culpare, reprehendere alicujus parsimoniam, ambitionem, dicam potius, quam culpare aliquem parsioniae, ambitionis.

Sic male diceretur: Increpare aliquem pigritia, improbitatis notare, purgare tarditatis, sugillare incuriae, vituperare nimiae lenitatis, traducere levitatis, castigare impudentiae.

#### VERBA EMENDI.

Etiam Verba emendi, vendendi, locandi præter Accusativum, hos tere Genitivos assument: tanti, quanti, plurimi, minoris, tantum

*tidem, quanticunque.* Pretium tamen Ablativo effertur. Cic. *Emit homo cupidus tanti, quanti Pythius voluit.*

Talia sunt: Emo, coemo, mercor, commercor, comparo, redimo, vendo, divendo, venundo, distraho, vaneo, liceo, liceor, licet r stat, constat valeo, loco, eloco. Sic. emere tanti quanti pluris minoris tantidem quanti-cunque.

Nota. Putant aliqui sub his Genitivis subintelligi; aeris pretio v. g. emi tanti (aeris preetio. )

### VERBA ÆSTIMANDI.

Verba æstimandi: praeter hos genitivos, istos etiam habent: *Magni, parvi, maximi, minimi.* Terent. *Merito te semper maximi feci Chreme.*

Talia sunt: Æstimo, duco, habeo, pendo, puto, facio, v gr. Magni aestimat pecuniam, minimi virtutem. Magni fit a Civibus, parvi penditur ab exteris, etc.

### Appendix I. Generis.

Dicimus etiam: *magno, permagno, parvo* æstimare. Cic. *Tu ista magno aëstimas, an temet parvo aëstimas.*

Nota. Reperies item apud probatos Auctiores, *nimio plurimo minimo* æstimare, ubi liquet pretio subintelligi. Certum vero pretium, ut *librum emi floreno*, est Ablativus commuuis pretii.

### Appendices II. Generis.

I. *Nauci, flocci, pili, assis, teruntii, nihili* cum verbo *Facio* junguntur. Cic. *Eum nihili facit.*

Dicimus etiam: *Tuas minas hujus non facio; flocci, nihili tuas fortunas pendo:* non assis, non flocci te æstimo, pro nihilo habeo, duco, non dividias omnes præ virtute.

II. *Sum pro aëstimator* Genitivos magni

~~o~~cterosque admittit. Cic. Magni mihi erunt  
tuae litterae. Conscientia mihi pluris est; quam  
hominum sermo.

III. *Æqui, bonique, vel aequi boni consulo*, singularia sunt. Terent. *equidem isthoc ae-*  
*qui bonique facio. Hanc moram boni consul.*

*Nota. Singularia sunt, id est Phrasis, seu loquendi*  
*modus Latinis proprius.*

Hæc item Verba: *Admoneo, commoneo,*  
*commonefacio Genitivum habent cum Accusa-*  
*tivo. Liv. Qui admonerent eum Romani foe-*  
*deris. Grammaticos sui officii admonere.*

Eadem tamen pro Genitivo possunt Abla-  
tivum cum Præpositione de admittere. *De quo*  
*vos paulo ante admonui.*

### TERTIUS ORDO ACTIVORUM.

#### Dativus cum Accusativo.

**Q**uædam Verba Activa præter Accusativum,  
Dativum exigunt. Ea fere sunt *Dandi, reddendi,*  
*committendi, promittendi, declarandi, an-*  
*teponendi, postponendi. Cic. Salutem tibi ii-*  
*dem dare potuerunt, qui mihi reddidere.*

*Nota. Non Activorum, solum, sed omnium Verbo-*  
*rum Dativus, revera videtur esse Dativus Communis rei,*  
*vel personæ, cui acquiritur, vel demitur, commodatur*  
*vel incommodatur aliquid. Quod Alvari regulas exami-*  
*nanti facile patebit. Nec adeo hæc de Dativi Regimine*  
*doctrina multum difficultatis affert Tironibus.*

*Verba dandi: Tribuo, præbeo, præsto, suppedito,*  
*sub ministro, assigno, procuro, concedo, dedo, porrigo,*  
*exhibeo, impendo, commendō, mumndo, mitto, red-*  
*do, refero, restituo, impendo repono, retribuo, com-*  
*pense, solvo remitto.*

*Committendi.* Committo, mando, commando, trado, prode.  
*Promittendi.* Declaro, expono, explico, aperio, dico, narrro, refero, significo, nuncio, denuncio, demonstro, scribo.

*Anteponendi.* Antepono, antefero, antehabeo, praehabeo, præfero, præpono, postpone, posthabeo.

### Appendices I. Generis.

I. Alia sunt hujus tertii ordinis, ut: *Facio tibi injuriam*: *facio tibi fidem*; *ago tibi gratias*; *mitto tibi litteras*, etc.

*Nota.* Apertum est haec, aliaque Infinita Dativi communis esse, nec Regula eguisse.

II. Multa denique Composita ex Activis, et Praepositionibus: *ad*, *in*, *ob*, *præ* sub *præter* Accusativum etiam Dativum, postulant.

*Cic.* *Inimici mihi mea eripuere.*

*Nota.* Haec Regula latissime pertinet<sup>1</sup>, cum pauca Activa sint, quæ non compositum ejusmodi progeherent. Horum permulta Linguarum prope omnium Syntaxi, et Interrogationi. Cui respondent. Dissident alia, ex Anthoribus, vel indiculo subjecto discenda.

I. Composita ex Præpositione *ad*: *addico*, *adjudico*, *addo*, *adjicio*, *apparo*, *adjungo*, *admetior*, *adclamo*, *adhaereo*, *admurmuro*, *aequiparo*, *adfero*, *adnumero*, *annuo*, *adpludo*, *adpingo*, *adpropinguo*, *adsentio*, *adsgno*, *adsimilo*, *adsisto*, *adscribo*,

Variant in permultis linguis, et fere cum aliqua Praepositione confluuntur alia, ut:

Admisceo vino aquam.	Sibi aliquid arrogare.
Admoveo manum ori.	Accedere alterius sententiae.
Advertere navem littori.	Assuere frustum pallio.
Advolvere se pedibus alicujus.	Adstringere sibi aliquem.
Alligare aliquem columnae.	Abrogare alicui Consulatum.
Allinere colorem tabulæ.	Aspergere alicui aquam.
Appliko me studiis.	Adsciscere sibi socios.

*Apponere aquam igni.* Attrahere sibi spiritum.  
*Affigere reum cruci.* Advehere merces alicui.  
*Agglutinare asserem asseri.*

**II. Composita ex Præpositione, *Con*:** *Comminor, communico, comparo, compono, compenso, confido, confiteor, congratulor, consocio, conniveo, consecro, consigno, contradicco, dissentio, diffido.*

### Mutato Casu.

<i>Colloquor illi.</i>	<i>Consonat orationi vita.</i>
<i>Colludere hosti.</i>	<i>Gonvitiari Magistratibus.</i>
<i>Confidere se alicui.</i>	<i>Collaerimor vobis.</i>
<i>Conjugere se alicui.</i>	<i>Collaborare alicui.</i>
<i>Consentio tibi.</i>	<i>Circumindare Urbi aggerem.</i>
<i>Consvescere alicui.</i>	<i>vel Urbem aggere.</i>
<i>Convivere Militibus.</i>	

**III. Composita ex Præpositione *In* ejusdem Casus:** *Immineo, impero, impertio, incutio, indico, in do, indulgeo, infero, inhio, ingero, ingenio, in halo, inhibeo, infideor, inflillo, intercurro, interdico, ignosco, in video etc.*

### Mutato Casu.

<i>Illigare Rosas seruo.</i>	<i>Immergere se fluvio.</i>
<i>Illinere atramentum chartæ.</i>	<i>Immittere tignum muro.</i>
<i>Illucescit nobis dies.</i>	<i>Impendere se scientiis.</i>
<i>Imponere alicui.</i>	<i>Instare, insistere alicui.</i>
<i>Importare domui malum.</i>	<i>Insuere nummos vesti.</i>
<i>Incubare lecto.</i>	<i>Inspergere eibo salem.</i>
<i>Incumbere scamno.</i>	<i>Inspirare alicui animos.</i>
<i>Inniti sellæ.</i>	<i>Intendere lectioni.</i>
<i>Indignor homini.</i>	<i>Intercedere legi.</i>
<i>Indoleo tibi.</i>	<i>Interloqui aliis.</i>
<i>Indormio curis.</i>	<i>Interponere gaudia curis.</i>
<i>Infigo mihi acum.</i>	<i>Interjicitur nobis murus.</i>
<i>Infodere thesaurum terræ.</i>	<i>Intervenio vobis.</i>
<i>Inhæret pedi spina.</i>	<i>Intexere panno flores.</i>

Innatare mari.	Invidere felicibus.
Inscribere nomen libro.	Inurere alicui maculam.
Inserere plantam terræ.	Irascor tibi.
Insidere equo.	

IV. Composita ex Præpositione *Ob*: *Obduco*, *objicio*, *obligo*, *obtrudo*; *obsisto*, *obtin-go*, *obvenio*, *occino*, *occurro*, *obedio*, *oblo-quor*, *obnuncio*, *obrepo*, *offendo*, *offerō*, *oppono*, etc.

### Variato Casu.

Obequitare Urbi.	Obtrectare laudibus.
Obstruere luminibus alicuius.	Obvertere se alicui.

V. Composita ex Præpositione *Prae* eodem Casu: *Pendo*, *parco*. *praedico*, *praebeo*, *prae-cipio*, *prae-cino*, *praecludo*, *prae-eo*, *prae-fto*, *praefero*, *prae-fido*. *praenuncio*, *prae-scribo*, *prae-sideo*, *prae-sagio*, *prae-habeo*, *praeludo*, *prae-pono*, *prae-cipio*.

VI. Composita ex Præpositione *Sub*, eodem Casu: *Subdo*, *subduco*, *subjicio*, *sublego*, *sub-ministro*, *suppedito*, *submitto*, *subnecto*, *sub-servio*, *substerno*, *succresco*, *succumbo*, *sug-gero*, *sufficio*, *suppono*, *surripiō* etc.

Succenseo vobis.	Suppetit nobis annona.
Supplico tibi.	Supervenit nobis hostis.
Subolet mihi.	Succedere alicui in munere.

### Appendices II. Generis.

I. *Habeo tibi fidem*, id est, *credo*, usitatis-simum est. *Dubium vero*, an in eodem signifi-cato, *adhiceo tibi fidem*, rite dicatur. *Praefeo tibi fidem*, *idem* est, ac *servo tibi fidem*.

II. Sunt quibus geminus Dativus alter *rei*, Personæ alter præter Accusativum apponitur, ut

*Do*

*Do tibi hoc laudi, vitio, culpae, criminis, pignori; vertis id mihi stultitiae: id tibi ducis honori, gloriae, laudi, damno, emolumento.*

*Appendices III. Generis*

I. *Verbum* mutuo non est *hujus loci*; non enim dicimus: *mutuavi pecunias*, sed *mutuas dedi pecunias*. Dicimus autem dare *mutuum de pecunia*, *aliisque rebus*, *quae non redduntur eaedem*, *sed ejusdem generis*. Nam de caeteris *commodare usitatum est*; *quod interdum etiam de pecunia dicitur*. Cic. *Mulier se aurum commodasse Coelio dicit*.

II. *Jubeo*, *cum imperare, aut velle significat, fere Accusativo Infinitivi aperti, vel occulti jungitur*, ut: *Jubeo te bene sperare. Ne respexeris, dum te jussero;* intelligitur *respicere*.

*Jubeo cum Dativo, et particula ne dixit Caesar: Jussit militibus, ne qui eorum violarentur. Quod mirandum potius, quam imitandum est.*

*Nota.* Minus imitandi sunt, Tacitus, Claudianus, aliique Dativo passim utentes, ut: *Britannico jussit assurgere Hispanis jubet*. Minus illi, qui Conjunctionem ut subjiciunt, ut: *Jussit, ut hoc faciam. pro jussit hoc fieri, vel me facere*.

Cum autem *decernere, statuere, creare* significat, non solum Accusativum *rei*, sed etiam *Personae* admitit. *Populus Romanus legem jussit. Consulem jubere, pro creare*.

*Nota.* Idem intellige de aliis *hujus significationis Verbis*, quae *vulgo secundum Idiotismum Germanicum cum Præpositione in male construuntur* ut: *cum dicunt: aliquem eligere in Consulem pro Consulem, dare alicui filiam in uxorem, ducere aliquem in uxorem pro uxorem; sumere aliquem in arbitrum*.

**QUARTUS ORDO ACTIVORUM**

Geminus Accusativus post Verbum.

**Q**uædam Verba Activa post se duos Accusativos, *rei* nempe, et *Personæ* admittunt. Cic. *Silii causam te docui.*

Talia sunt: *Doceo*, *edoceo* aliquem Grammaticam, *Rogo*, *reposco*, *posco*, *flagito* Patrem pecuniam. *Interrogo* quempiam nova. *Celo* te veritatem. *Id te moneo.*

*Nota.* Moneo, admoneo, commoneo: item Verba *pentendi*, ac *percontandi*, non quoslibet Accusativos, sed Pronominum tantum admittunt: *Hoc*, *istud*, *illud*, *idem*, *id*, *quod*, *aliquid*, *multa*, *pauca*, *unum*; nec enim dixeris: *monui puerum officium*, sed *officii*, etsi rite dicatur: *dudum id puerum monui.*

*Appendix I. Generis.*

*Moneo*, *admoneo*, *commoneo*, *commoneacio*, *erudio*, cum significat certiorem facio; item *celo*, Accusativum *rei*, Ablativo cum præpositione *de* mutant. Cic. *Terentiam moneatis de testamento*, *Celo* voce passiva Dativo gaudet *Terent.* *Si hoc celetur Patri, in metu sum.*

Sic: De re quisque sua me doceat. Senatus edocet de itinere hostium. Bassus me de hoc libro celavit. Iisdem de rebus me interrogavit De rebus omnibus me erudiās, velim.

*Appendices II. Generis.*

I. Verbo *commoneo* non ausim geminum Accusativum dare, sed Accusativum cum Genitivo, vel Ablativo, ut supra dictum est.

II, *Erudio*, *instituo*, *informio*, *instruo*, *imbuo*, quamvis sint Verba *Docendi*, non tamen geminum Accusativum, sed Ablativum *rei* ha-be-

bent cum Accusativo Personae. Artibus aliquem erudire. Instituere doctrina, bonis moribus. Informare litteris. Imbuere Religione.

*Nota I.* Cicero etiam dixit: erudire aliquem in civili jure, Item instituere aliquem ad omnem modestiam, humanitatem, animi magnitudinem. etc.

*Nota II.* Non est contennenda recentiorum sententia: a nullo verbo duplēcēt Accusativum regi, sed alterum Ecclipticum, seu figuræ omissionis esse itaque cum diciatur: rogo te pecuniam, id me monuit, subintelligi, propter pecuniam.

### Appendices III. Generis.

*Peto, exigo, erudio, cum duobus Accusatis vis nondum, quod meminerim, apud veteres inveni. Si reperies; Petere jura Cordubam: exigo te Portorium: erudio te litteras, figuratum est, vel Poeticum.*

### QUINTUS ORDO ACTIVORUM.

Ablativus, præter Accusativum.

**Q**uædam Verba Activa Ablativum præter Accusativum sibi adsciscunt. Ea fere sunt: *Vestiendi, implendi, liberandi, et his contraria: multa praeterea privandi.* Cic. *Oculos natura membranis tenuissimis vestivit, et sepsit.*

*Verba vestiendi.* Vestio, conuestio, ainitio, in duo, cingo megladio, instruere equum ornatu regio, caput galea tego, *Contraria:* Exuo, nudo, discingo me omnibus ornamentis.

*Onerandi:* Onero, opprimo, premo, obruo aliquem laboribus, *Contraria:* Levo, allevo, exonero animum dolore.

*Liberandi:* Libero, solvo exolvo, expedio aliquem magno malo. *Contraria:* Alligo, illaqueo, irretio, obligo, adstringo mentem inanibus studiis.

*Implendi*: Compleo, impleo, repleo, modium frumento, cumulo, orno, augeo aliquem opibus, fartio, refertio, satio, saturo, exsaturo, aliquem cibis.

*Privandi*: Privo, spolio, orbo, exuo, fraudo, evertio, viduo aliquem omnibus fortunis.

*Nota*.—Hue item pertinent permulta verba singularia, ut: *afficere aliquem honore*, *vel injuria*, accipere aliquem hospitio, mutare pacem bello. Abdicare se magistratu, etc quae e flore latinitatis, aut usu discenda erunt.

### Appendices II. Generis.

I. *Impleo*, et *Compleo* etiam cum Genitivo reperitur, ut: *Implere ollam denariorum*. *Parasitus*, qui me complevit flagitii, et formidinis.

II. *Dono*, *impertio*, *aspergo*, *intercludo* Dativum vel Ablativum sine Präpositione habent: et aliquando *exuo*. Cic. *Non pauca suis donabat. Eum Pompejus Civitate donavit.*

*Sic*: Munus impertiri alicui vel aliquem munere: aspergere, inspergere salem cibo, vel sale cibum, intercludere hostem conieatu vel hosti comeatum exuere se toga vel sibi togam.

### Appendices III. Generis.

*Verba Vestiendi nondum*, quod memini apud veteres cum duobus Accusativis legi; *Passiva* apud Historicos, et Poetas leguntur, ut: *Vestem Fratris induitur*, *Verbis tamen induo*, et *exuo* Cicero voce activa Accusativum retribuit, ut: *Talaria induamus*. *Omnem humanitatem exuere*. Voce tamen passiva Ablativum, ut: *Vir indutus veste muliebri*. Aliquando etiam Dativus additur: *Ex spoliis torquem sibi induit*.

## SEXTUS ORDO ACTIVORUM,

Ablativus cum Præpositione *a* vel *ab* præter  
Accusativum.

**Q**uaedam Verba Activa præter Accusativum Ablativum cum Præpositione *a* vel *ab* postulant. Ea fere sunt: *Petendi, percontandi, auferendi, abstinenti.* Cic. *Quid acta vita quid studia tua te exigant, vide.*

*Verba Petendi:* Peto, posco, reposco, flagito, efflagito, contendeo, imploro a te opem.

*Auferendi:* Aufero, abstraho, eripio, surripio, furor pecunias ab aliquo, abalieno, avoco, abstraho me ab alicujus amicitia.

*Removendi:* Removeo, amoveo, aliquid ab oculis, absterreo, deterreo hominem a vitio, Arceo, repello, aверto hostem a moenibus.

*Abstinenti:* Abstineo me a cibis, contineo: refreno, cohibeo hominem a facinore.

*Accipiendi:* Accipio, audio, emo, conduco, sumo, reporto, fero, colligo.

## Appendix I. Generis.

Intelligendi Verba, ut: *Intelligo, cognosco, accipio, agnosco, conjicio, disco* Præpositionem *Ex* recipiunt. Cic. *Ea certissima putabo, quae ex te. cognovero.* Horum normam imitantur alia eg: *Quaero illud etiam a te vel ex te* e g: Epicuri *ex Velleio* sciscitabor sententiam. Cic. *Poma ex arboribus si cruda sunt vi a velluntur si matura, et cocta decidunt.* Maxime vero quæ ex præpositione *ex* componuntur, *ex urbe expelli, ejici, exterminari.*

## Appendices II. Generis.

Quaedam modo Dativum, modo Ablativum cum Præpositione habent, præter Accusativum, ut: *Surripio, eripio, aufero, Tu misisti, vel a me pecuniam abstulisti.*

## Appendices III. Generis.

*Oro, exoro, obsecro, et nonnulla hujus Generis post Accusativum personae, fere Subjunctivum, intercedente ut postulant. Frater me exoravit, ut huc secum venirem.*

*II. Quaedam Verba hujus Ordinis Praepositionem de admittunt, ut audivi hoc de Patre meo puer. Emere equum de Sylla.*

DE CONSTRUCTIONE  
VERBI PASSIVI.

**V**erbum Passivum est, quod Syllaba OR finitum Activum fit, R litera abjecta, ut: *Amor, amo.* Verbum Passivum Ablativum cum Praepositione *a* vel *ab* postulat post se, qui ex Nominativo Verbi Activi fit. *Cic. Liber tuus et lectus a me est, et legitur diligenter.*

## Appendix I. Generis.

Verba Passiva nonnunquam dandi casum pro auferendi more Græcorum admittunt, ut: *Auditus est nobis Laelii sermo.* Interdum Accusativum cum Praepositione *per;* *Subinde per Praetores Consules creantur.*

DE CONSTRUCTIONE  
VERBI NEUTRIUS.

**V**erbum Neutrum est, quod *m* vel *o* litteris finitum, ex se Passivum Personale non gignit. Nec enim dicitur: *Stor aut Servior, a Sto, Servio.* *PRI-*

**PRIMUS ORDO NEUTRORUM.**

Utrinque Nominandi Casus.

**O**mne Verbum Neutrum, præsertim Substantivum utrumque Nominativum habere potest, cum utrumque nomen ad eandem rem pertinet.  
*Cic. Senectus ipsa est morbus.*

*Appendices I. Generis.*

I. Non solum Verba Neutra, sed omne Verbum Personale finiti modi, utrinque Nominativum habere potest, cum utrumque Nomen ad eandem rem pertinet. *Cic. Liber, qui inscribitur Laelius.*

II. Huc pertinent maxime Verba, quæ vocativa appellantur. Ejusmodi sunt: *Appellor, vocor, nuncupor, nominor, dicor*, et si quæ sunt hujus generis, ut: *Feror, pro dicor, videor, habeor etc.* *Cic. Septem dicuntur fuisse uno tempore Sapientes.*

*Verba Substantiva:* *Sum, existo, maneo, permaneo* mei similis, *evado, si vir, non in virum.*

*Vocativa Prissiva:* *Vocor, nuncupor, dicor, appellor, cognominor, nominor* Trebatius. *Existimandi:* *Aestimor, habeor, ducor probus, Reperior, arguor, invenior doctus.*

*Verba alia:* *Sto, sedeo erectus, vivo miserrimus, scribo* haec senex: *nascimur, morimur paupeſſimi.*

*Appendices II. Generis.*

I. Etiam Verbum Personale infiniti modi post se Nominativum petit, cum res ad Nominativum præcedentis Verbi pertinet. *Cic. Nolo esse longior.* Quod in Verbo *Videor* est frequentissimum *Videor te ausurus appellare.*

II. Verbum etiam *Videor* fere post se Nominativum ejusdem Numeri, et personæ postulat, seu addatur, seu omittatur infinitum. Nec enim dicitur: *Mihi videtur, me sperare.* *Mihi videtur, hanc esse repugnantiam:* sed *Mihi videor sperare.* *Mihi videtur ea esse repugnantia.*

III. Interdum tamen Impersonaliter usurpatur. Cic. *Visum mihi est id senectute aliquid scribere.* Quod tunc accidit, cum non tam opinio, et sententia, quam voluntas, et induc[t]io animi significatur, ac fere pro placuit ponitur, ut: *Visum est, ad te scribere.* Aut cum nullo pacto Nominativo locus esse potest, ut: *Mihi videtur Deo servieudum.*

### V De Constructione Verbi *Videor*.

Verbum *Videor* Personale in hunc modum construitur. I. Persona Verbi *videor* ponitur, in Dativo *mihi, tibi, illi,* etc. *videtur.* Subinde tamen hic Dativus omittitur, ut: *videntur omnes scire.*

2. Nominativus verbi sequentis, fit Nonnominativus Verbi *videor*, quod cum eodem in genere, numero, et Persona concordat, v. g. *ego videor, tu videris, parentes videntur.* *Eius, consilii auctor ego fuisse videor.* Valet hoc, etsi verbum *videor*, iteretur *Videor mihi videri Sapiens.* Sæpius autem repetere, nec latinum, et putidum est, ut *Mihi visum est, Petro visum fuisse, meo fratri visum fuisse, tibi visus esse, Andreas punitus fuisse.*

3. Verbum subsequens omissis Conjunctionibus quod etc. in Infinitivo et eodem tempore ponitur: *Pueri mihi videntur ridere.*

4. Si Particium, vel Adjectivum sequatur, cum Nominativo verbi *videor* in genere, numero, et casu concordabit: *Videtur mihi Petrus aegrotans, videntur sorores tue brevi venturae esse. Iusitivum esse frequentius omittitur: videtur mihi Petrus aegrotans, videntur*

*sorores tuae brevi venturae esse.* Infinitivum esse frequenter omittitur: *videtur aegrotus, videntur venturae.*

Quod de verbo Videor dictum est, idem de aliis supra memoratis intelligendum est: *Ille adjutor fuisse traditur, prohibetur, creditur, etc.*

III. Si Verba puto, ajo, refero, et alia ejusdem significatio*n*is Infinitum præcedant, durior efficitur oratio. *Lucanus.* Tuumque putavit, jam bonus esse sacer. Ait phasellus ille fuisse navium celerrimus: *Pro se bonum Sacerum. Phasellum navium celerrimum.*

*Nota.* Tales loquendi modi Tironibus extra carmen, non modo duram, sed et erroneam facerent orationem.

IV. Si Accusativus antecessit, et sequatur necesse est; *Cic. Cupio me esse clementem. Nolo me esse longiorem.*

### Appendices III. Generis.

*Infinitum esse antecedente verbo licet, dandi vel accusandi casum postulat. Cic. Licuit esse otioso Themistocli, licebit et Epaminondae.*

*Cum coeteris vero verbis Dativum regentibus, fere Accusativum habet. Cic. Expedit bonos esse nobis. Licebit mihi otiosum esse.*

### SECUNDUS ORDO NEUTRORUM.

Genitivus post Verbum.

Quaedam Verba Neutra post se Genitivum pertinent. *Terent. Clinia rerum suarum satagit.*

Talia sunt *Sum*, cum possessionem significat, ut: *Totum me Pompeji esse scis. Memini injuria*e*. Egeo, indigeo consilii. Satago rerum mearum.*

### Appendix I. Generis.

*Memini pro Recordor, tum Genitivum, tum Accusativum postulat, Cic. Omnia, quae cu-*

rant Senes, meminere. Pro mentionem facio cum Genitivo, vel Ablativo cum praepositione *De* jungitur. Hujus rei, vel de hac renusquam meminit.

### TERTIUS ORDO NEUTRORUM.

Dativus post Verbum.

Quædam Verba Neutra post se dandi Casum postulant; ea fere ~~auxiliū~~<sup>etiamq;</sup> *commodum, incommodum, favorem, studium* significant.

Dativo item adhæret Verbum *Sum*, si habere significet.

Multa præterea *Obsequium, obedientiam, submissionem, repugnantiam* significantia.

Multa denique Composita ex Verbis Neutris et Præpositionibus: *Ad, con, in, inter, prae, sub.*

*Verba auxiliandi.* Subvenio, succurro miseris. *Commодandi.* Provideo, consulō, prospicio Patriæ. *Incommодandi.* Noceo, officio Reipublicæ, cor mihi dolet. *Favendi.* Favere, studere civibus; studere, vacare litteris.

*Composita ex Verbo Sum.* Absum, adsum periclitantibus, nec desum, nec obsum cuiquam, præsum subiectis, subsum Magistratui.

*Obsequendi.* Inservio, servio Majoribus. Indulgeo siliis, obedio, ausculto, obtempero Senatui, cedo, concedo æqualibus, obsto, repugno nemini, etc.

Composita ex Præpositionibus plurima sunt, et multa supra inter Activa adnotata sunt.

### Appendices I. Generis.

I. *Sum* modo Dativum unum habet. Cic. *Nunciatur ei melius esse.* Modo duos: Cic. *Pagina tua magnæ mihi molestiae fuit.*

*Nota.* Adhibetur cum duobus Dativis loco affero, vel afficio, vs gr. loco: *tua epistola magnum mihi gaudium attulit vel magno me gaudio affectit*, dices: *gaudio mihi*

*hi fuit* Sic: Hæc res hic homo mihi adjumento, auxilio; bono, commodo emolumento, gloriæ, perfidiæ, solatio voluptati, usui, honori, ornamento, lætitiae fuit. Ea res tibi dolori, exitio, fastidio, molestiae, moerori, noxœ, tristitiae, tædio, impedimento, fraudi ignominiaæ, ludibrio, calamitati, terrori, oneri probro, damno, incommodo erit. Id mihi cordi curæ erit; etc.

II. *Incumbo*, cum ad studium refertur, Accusativum cum Præpositione *in* vel *ad* postulat, Cic. *In id studiū incumbite Adolescentes. Incumbere ad laudem.*

III. *Consulere alicui*, non est Consilium dare, sed prospicere. *Consulite vobis. Prospicite Patriæ.* Consulere aliquem, est consilium petere ab aliquo. Cic. *Nunc ego Judices vos consulto.*

### Appendices II. et III. Generis.

Verba, quæ varijs Casus admittunt.

Sunt Verba, quæ varijs Casus eadem, vel diversa significacione admittunt, hujusmodi sunt: *Acquiesco* tuæ sententiæ, vel in tua sententia. *Adulor* opulentis, vel opulentos.

*Allatro* aliquem, vel alicui.

*Antecedo, anteero, antevenio, antevertō* cæteros, vel cæteris doctrina.

*Aspergo* aliquem aqua, vel alicui aquam, *Conducit* id rei meæ, vel in rem meam.

*Consentio* tibi, vel tecum.

*Communio* rem amicis, melius: cum amicis.

*Cupio* tibi vel tua causa omnia.

*Deficit* mihi, vel me pecunia.

*Despero* saluti, vel salutem, de salute.

*Dissentio, dissideo* alicui, vel cum aliquo.

*Dominor* Civitate vel in Civitatem vel in Civitate.

- Dono* tibi librum, vel te libro.  
*Furor* Hero equum, vel ab Hero.  
*Incessit* mihi, vel me cupiditas.  
*Incumbo* ad litteras, incumbo scamno.  
*Indignor* facto hominis, vel factum.  
*Induo* mihi vestem, vel me veste.  
*Impertior* tibi salutem, vel te salute.  
*Illudere* miseris, vel miseros.  
*Insulto* victis, vel victos.  
*Interdico* tibi ignem et aquam, vel te, vel tibi igne et aqua.  
*Loquor* tibi, vel tecum.  
*Moderor* iræ, *moderor* numeros, cantum.  
*Medeor*, *medicor* vulneri, vel vulnus.  
*Nubo* alicui, vel cum aliquo.  
*Occumbo* neci, vel necem,  
*Obtrecto* tuis laudibus, vel tuas laudes.  
*Praecedo*, *praeeo*, *praesto*, *praecurro* alicui, vel aliquem scientia.  
*Praestolor* socio, vel socium.  
*Prohibeo* tibi domum, vel te domo.  
*Vaco* litteris, i. e. litterarum causa ab aliis rebus vacuus, et liber sum.  
*Vaco* curis, criminè, id est: *careo* curis, sum sine crimen.

*QUARTUS ORDO NEUTRORUM.**Accusativus post Verbum.*

**Q**uædam Verba Neutra post se Accusativum postulant. Ea fere ad res mutas pertinent, ut *Aro terram*. Vel sunt ea Verba, quibus additur res Verbi, ut: *Vivo vitam*. Alia præterea

Ver,

**Verba** huc revocantur, quæ Neutro Activa appellari possunt, ut: *Ejus sensum bene calleo.*

**Verba**, ad res mutas pertinentia, seu rusticæ: Aro terram, planto, rigo hortum, poto pecora, sero, meto siliginem, occo arvum, pastino, ablaqueo vites.

*Nota.* Haec Verba parum ab Activis discedunt, nec video, cur non item aror, seror, metor, plantor etc. saltem a Poetis dici possit.

**X Verba, quibus res Verbi additur:** Vivo vitam, pugno pugnam, curro cursum, servio servitutem. Sic etiam dici posset: Amare amorem noxiū, gradi gressum, lachrimare lachrimas, justum gemito gemitum, etc.

**+ Verba Neutro Activa:** Exhalo crapulam, stupeo, obstupeo rem novam, sonare laudes, crepare opes suas, manet te magnum malum, anhelo patriam, erubesco factum, doleo mortem hominis, horreo omen, sitio sanguinem, inclamo fratrem. *Defectiva.* Odi folidos, cœpi opus, memini factum, novi virum.

### QUINTUS ORDO NEUTRORUM.

Ablativus post Verbum.

**Quædam Verba Neutra** post se Ablativum pertinet; ejusmodi est *Sum cum laudem, vel vituderationem significat.* et nonnulla alia. *Tu fac animo forti, magnoque sis.*

**+ Talia sunt:** Egeo, indigeo tua ope; careo omni solatio; vivo, victito glandibus; vaco curis, supersedeo narratione longiore; manat sudore; fluvius sanguine fluit; labore re fru-

mentaria; affluo, diffluo, circumfluo pecuniis;  
valeo viribus; multum ingenio potest; stare  
re judicata; consto corpore, et anima.

*Appendices I. Generis.*

Sum interdum Genitivum habet, etiam, cum  
laus, vel vituperatio significatur. Cic. *Menul-  
lius animi: nullius consilii fuisse confiteor.*  
*De egeo, et indigeo idem supra dictum.*

*Appendices II. Generis.*

I. Neutra s<sup>e</sup>pe Ablativum admittunt signi-  
ficantem partem. Cic. *In principio dicendi  
tota mente, artibus omnibus contremisco.*

II. Hoc genere loquendi frequentius utun-  
tur Poetæ, qui Ablativum etiam in Accusati-  
vum mutare consueverunt, Horat. *Tremit os-  
sa pavore.*

*Appendices III. Generis.*

Cum Verbo Sum quaedam Ablativo melius  
efferuntur, ut: *Fac animo virili sis. Mira est  
alacritate. Superciliis rarus est. Contra Ge-  
nitivo, ut: Nullius consilii sum. Cibi erat  
minimi.*

**SEXTUS ORDO NEUTRORUM.**

Ablativus cum præpositione post Verbū.

**Q**uædam Verba Neutra ut passionem signifi-  
cant, ita Passivorum more construuntur. *Fusti-  
bus ab eo vapulavit. Dixit a Cive se violari  
malle, quam ab hoste venire.*

*Talia sunt: Vapulo, veneo, vel venum-  
eo; Fio pro æstimor.*

*Appendices I. Generis.*

I. *Fio eleganter cum Ablativo jungitur si-  
ne*

ne præpositione. *Quid illo factum sit, ignoro.* *Quid me fiet?*

**II** Particípium *Futurus* eodem sensu eumdem casum postulat. *Quid me futurum censes?* Jungitur etiam *Datiō*. *Vide, quid tibi futurum sit?*

*Nota.* Costructio hæc figurata est, et Eccliptica; est enim Præpositio *de* vel *ex*, quasi dicas: *Quid de me fiet? quid de hoc puerō futurum? quid de hoc homine facias?*

### *Appendices II. Generis.*

*Exulo*, et *Liceo* prætermisimus, quod ea nondum cum Ablativo Personæ agentis legerimus. Verbum *facio* eodem modo usurpatum a Doctis. *Quid hoc homine faciatis! quid huic homini faciatis?*

## DE COSTRUCTIōNE VERBI COMMUNIS.

**V**erba Communia Passiva significatione, Passivorum more sextum casum interdum admittunt. Cic. *Hoc restiterat demum, ut a te factis aggredere donis.*

*Talia sunt:* Dimetior, depopulor, experior, meditor, dignor, hortor etc. *Quae olim fere Activa fuere.*

*Admonitio.* Tirones, maxime Tempore Præsenti, et Imperfecto, a Verbis Communibas significatione Passiva quoad ejus fieri potest, abstinebunt; Participiis utantur licet iis, quæ a Clasicis Authoribus usurpata repererint.

## DE CONSTRUCTIONE VERBI DEPONENTIS.

**V**erbum Deponens, est quod or syllaba tantum finitum, Activi, vel Neutrius significacionem habet, ut: *Sequor, utor, morior.*

**PRIMUS ORDO DEPONENTIUM.**

Genitivus post Verbum.

**Q**uædam Verba Deponentia post se Genitivum casum adsciscunt. *Qui misereri mei debent, non desinunt invidere.*

*Talia sunt:* Misereor hominis. Obliviscor in jurarum: Recordor, reminiscor benefactorum. Potior rei desideratæ.

*Appendix I. Generis.*

*Obliviscor, Recordor, Reminiscor etiam Accusativum postulant.* Cic. *Omnia obliviouscor, ingratiam redeo.*

**SECUNDUS ORDO DEPONENTIUM.**

Dativus post Verbum.

**Q**uædam Verba Deponentia post se Dativum exigunt. Ea fere *Adulationem* significant, eaque omnia, quae Verba Neutra tertii Ordinis. Cic. *Ego vero ornamentis aduersor tuis.*

*Verba adulandi:* Adulor, assentior, blandior lenocinor. *Obsequendi:* Ancillor, adstipulator, famulor, morigeror, obsequor, auxilior, patrocinor, gratificor, gratulor. *Ex Praepositionibus Composita:* Illacrymor, collachrymor, illabor, immoror, innitor, oborior, obnitor, obloquor, obversor, irascor alicui. Loquor tibi. Medeor vulneri. Moderor iræ.

*Appendices I. Generis.*

Præstolor, adulor, medicor vel Dativo, vel Accusativo junguntur. *Quem, vel cui præstolare?* Parmeno. *Eum omnes, vel omnibus adul-*

dulantem vidi. *Huic metui, vel hunc metum medicabor.*

*H. Indignor cum Accusativo rei jungitur.*  
*Quidam indignantur imperia.*

*Appendices II. Generis.*

Verbum *Dominor* fere eam Præpositione *in* apud bonos Auctores iuuenitur. *Dominatur in Civitate; dominatur in suos.* Si aliter reperias, erit Dativus Communis.

**TERTIUS ORDO DEPONENTIUM.**

Accusativus post Verbum,

**Q**uædam Verba Deponentia post se Accusandi easum postulant, ut: *Aliorum consilia sequere.* Talia sunt omnia Deponentia Activæ significationis, hoc est ea: quæ etiam in Patria lingua Accusativum admittunt. Horum aliqua jam in Principiis allata sunt. Cætera ex ipsa significatione, et Syntaxi facile intelliguntur.

**QUARTUS ORDO DEPONENTIUM.**

Accusativus cum Dativo post Verbum,

**Q**uædam Verba Deponentia præter Accusativum Dativum admittunt. Cic. *Graecia Italiae praesidium pollicetur.*

*Nota.* In his, aliisque Verborum classibus omnibus, Dativus hic potius communis, quam Verborum esse videtur, quod horum prope singula expendenti liquebit. Talia sunt hujus ordinis: *Largior, policeor, loquor, minor, minitor, admetior, remetior, assentior, gratulor, gratificor, furor*, quod etiam Ablativum cum Præpositione *a* vel *ab recipit*. *Furatus est a me librum.*

**QUIN-**

**QUINTUS ORDO DEPONENTIUM.**

Accusativus cum Ablativo post Verbum.

**Q**uædam Verba Deponentia, præter Accusativum etiam Ablativum sine Præpositione admittunt, ut: *Haud equidem tali me dignor honore.* *Muneror, remuneror* aliquem pari munere. *Prosequor*, quod ad animi affectionem referatur, ut: *Prosequor te benevolentia, amore, invidia, odio.* etc.

**SEXTUS ORDO DEPONENTIUM.**

Ablativus cum Præpositione præter Accusativum post Verbum.

**Q**uædam Verba Deponentia, præter Accusativum, Ablativum cum Præpositione *a* vel *ab* postulant, ut: *Multorum vitam a L. Sylla deprecatus est.*

*Percontor: sciscitor aliquid, ab aliquo; mercor.*  
*Appendix I. Generis.*

*Percontor, et Sciscitor* Ablativum etiam cum Præpositione *ex* admittunt. *Epicuri Sententiam ex Vellejo percontabatur.*

**SEPTIMUS ORDO DEPONENTIUM.**

Ablativus post Verbum.

**Q**uædam Verba Deponentia post se Ablativum postulant, ut: *Commoda, quibus utimur, lucemque, qua fruimur, a Deo nobis dari videmus.* *Talia sunt: Vescor pane. Potior præmio. Delector, oblector tua præsentia. Fruor, gloriior viribus. Fungor Consulatu. Defungor munere. Utor, abutor bonitate.*

## Appendices I. Generis.

*Potior* etiam Genitivum habet, ut: supra diximus, Cic. *li*, qui rerum potiuntur.

## Appendices II. Generis.

*Nitor*, *Glorior* Præpositionem in interdum admittunt. Cic. *In ejus vita nititur salus Civitatis.*

*Periclitator* cum ad periculum refertur, Ablativum postulat. *Periclitatur capite Sosades noster.* Cum experiri significat, Accusativum petit. Cic. *omnia circumspexi, omnia periclitatus sum.*

## Appendices III. Generis.

*Potior*, *Vescor*, *Fungor* non raro Accusativo adhaerent. Item *Utor*, et *Abutor* apud *Comicos*, ut: Cic. *Vincamus odium; pacem, potiamur. Mercare, quae uti velis.*

DE CONSTRUCTIONE VERBI  
IMPERSONALIS.

**V**erbum Impersonale est, quod prima, et secunda Persona utriusque Numeri, et tertia multitudinis fere privatur, unde et nomen traxit, ut: *Pudet*, *Poenitet*.

## PRIMUS ORDO IMPERSONALIUM.

**Q**uaedam verba Impersonalia absolute, sen sine Nominativo ponuntur. Cic. *Si fulserit; si tonuerit.*

+ Fulget, tonat, ningit, fulgurat grandinat, pluit, quam quam revera sub his omnibus subintelligitur *Coelum*,

## Appendices I. Generis.

His tamen interdum Nominativus additur, ut: *Pericles tonare fulgurare, permiscere Graeciam dictus est.*

*Pluit Acculativum, vel Ablativum non respuit, ut: Sangvinem pluit, lapidibus pluit.*

## SECUNDUS ORDO IMPERSONALIUM.

**Q**uedam Verba impersonalia ante se Nominativum, vel aliquam Orationis partem, præfertim vero infinitivum loco Nominativi postulant, post se Genitivum, ut: Cic. *Hoc vehementer interest Reipublicae. Omnia interest recta facere.* Est, interest, refert.

## Appendices I. Generis.

I. *Interest, et Refert* hos Ablativos habent: *Mea, tua, sua, nostra, vestra.* Cic. *Et tua, et mea maxime interest.*

II. *Cuja, vel cuius interest* dicitur, ut: *Ea caedes illi criminis detur, cuja interfuit.*

III. Verbum *est* pro Ablativis: *mea, tua, sua etc. habet meum, tuum, suum, nostrum, vestrum.* Cic. *Meum est, quod sentiam exponere.*

## Appendices II. Generis.

*Magni, parvi, tanti, quanti cum Verbis Interest et Refert junguntur. Cic. Per magni nostra interest, te esse Romae. Cætera ejusmodi per Adverbia adduntur, ut: Multum, plurimum, maxime, parum, nihil interest.*

## Appendices III. Generis.

*Verbum Interest loco Genitivi potest Accusativum cum Pæpositione ad recipere. Cic. Ad laudem nostram multum interest.*

*Quantum, pro quanti apud Ciceronem  
invenies.*

*Nota. I. Verbum Interest, Refert, etc. nullum apertum Nominativum admittunt, præterquam pronominum: Hoc, istud, illud, id, quod. quid, v. gr. Quid id mea interest? Igitur Substantivum rei, de qua sermo est, in verbum Infiniti modi commutandum erit. Sic cave dixeris. Mediolanum multum Cæsaris interest, sed addito Verbo Infinito, ut: *Cæsaris Multum interest, Mediolanum servari, muniri, etc.* Sic mea plurimum interest, apud te gratia valere, pro, *gratia*. Te valere, pro: *valetudo*. Dignitate florere, pro: *Dignitas*. Omnia interest salvam esse Rempublicam, pro: *salus Reipublicæ*. Fidos, amicos habere, pro; *amici*. Honeste vestiri, pro: *honestae vestes*. Tempestive nunciari, pro: *nuncius*.*

Poterit etiam loco infinitivi adhiberi *Conjunctivus* cum *Conjunctione* ut: v. g. Cæsaris multam interest, ut servetur Belgradum. Mea refert, ut valeas, dignitate floreas, etc.

*Nota. II. Præter nostra omnium, vestra utriusque, etc. recte item dicitur: nostrum omnium, paucorum vestrum, multorum nostrum, etc. sed tum Genitivus omnium, multorum, paucorum, a Verbo interest regetur; alter vero nostrum, vestrum ab his ipsis Partitivis, vel Numeralibus. ut infra de Pronominibus dicetur.*

+ *Nota. III. Interdum etiam res, loco Personæ in Genitivo ponitur: v. g. Communis salutis multum interest. Tuæ rei familiaris haud parum refert. Quamquam hi Genitivi, personæ vicem sustinentes, frequenter Accusativo cum Præpositione ad mutentur, v. g. Multum ad salutem communem, ad rem tuam familiarem, ad laudem, ad honorem interest, ut jam supra dictum.*

— *Nota. IV. Recte quidam sub his Ablativis mea, tua, etc. subintelligi existimant mea causa vel gratia, vel. in re, de re mea. Itaque esse vel Ablativum communem causæ, vel omissæ Præpositionis, quasi diceretur: de, in ea causa gratia, etc. Quod ex illo Plauti probabiliter arguunt: Mea isthuc nihil refert; tua refert gratia. Sic: Ciceronis causa refert stare Rempublicam.*

Post verbum *Sum vero*, sub illis: *meum*, *tuum*, etc. est, subauditur officium, v. g. *Menn* (*officium*) est pro omnibus vigilare.

### TERTIUS ORDO IMPERSONALIUM.

Dativus post Impersonale.

**Q**uædam Verba Impersonalia; quorum multa *Eventum* significant, ante se Nominativum, vel aliquam Orationis partem, præsertim vero infinitivum loco Nominativi postulant; post se vero Dativum. *Facite, quod vobis libet.* *Id tibi non licet.*

**V**erba *eventus*. Accidit: evenit, contigit, obtingit, incidit, usuvenit, cadit nobis frequenter, ut Cedit succedit nobis res e sententia. Bene vertit nobis id negotium. **V**erba *utilitatis*. Expedit, conductit, præstat, confert, competit tibi, liquet, constat, patet omnibus, suppetit, superat, suppeditat (*pro supero*) nobis quod necesse est, sedet, stat mihi ea sententia, *pro placet*, non vacat mihi, venit mihi in mentem.

*Nota.* Quibusdam videtur hic item Dativus non tam verborum, quam *Communis Commodi* esse: cuius rei argumentum esse potest, quod idem cum Vernacula Syntaxi plane conveniat, ut singula examinanti patebit.

### Appendices I, Generis.

I. *Incessit*, *Dandi*, vel *Accusandi* casum admittit, sæpius tamen *Accusativum*. *Livius. Timor incessit Livium. Gravior cura patribus incessit.*

II. Verba *eventus*, ut: *accidit* etc. apud Orationes fere infinitum respnuunt: *Conjunctivo*

Mo-

modo cum Conjunctione ut gaudent. Cic. Si ei contigisset, ut te videret.

### *QUARTUS ORDO IMPERSONALIUM.*

Accusativus post Impersonale.

**Q**uaedam Verba Impersonalia ante se Nominativum, vel aliquam Orationis partem, præfertim vero Infinitivum loco Nominativi, post se Accusativum postulant. Cic. *Decet hoc illum, nescio quomodo.*

Decet, dedecet te iracundia, juvat, delectat me ludere.

+ *Nota 1.* Huc item pertinent: Præterit me, fugit; fallit; latet; quid agatur.

+ *Nota 2.* Comicis, ac veteribus Poetis reliquendā sunt illa: *Ita nobis decet. Latet mihi, quod tibi patet. Age, si quid tibi juvat.*

### *Appendix I. Generis.*

Verbum *Oportet*, Verbum absolutum est, quod modo Nominativum aperte habet, ut: *Haec facta ab illo oportebant.* Modo membrum orationis loco Nominativi Cic. *Irritari Antonium non oportuit.*

*Nota.* Verbo *Oportet* eleganter præmittitur Verbum Subjunctivi Modi, omissa Conjunctione; ut: v. g. *E rerum cognitione efflorescat oportet oratio;* loco: *ut efflorescat. Studeas oportet;* loco: *ut studeas.*

### *QUINTUS ORDO IMPERSONALIUM.*

Accusativum cum Præpositione post Impersonale.

**Q**uædam Verba Impersonalia præter Nominativum, vel ejus loco aliquam Orationis partem,

tem, post se Accusativum cum Præpositione ad petunt. Cic. *Hoc ad me nihil attinet.*

Sic Hoc ad te pertinet, spectat. Vulgare illud: *hic liber spectat ad me, loco meus est, barbarem est.*

### SEXTUS ORDO IMPERSONALIUM.

Genitivus ante Impersonale.

**Q**uaedam Verba Impersonalia ante se fere Genitivum, post se Accusativum postulant. *Miseret te aliorum; tui, nec te miseret, nec pudet.*

Miserescit, miseret me tui; piget me laboris, taedet illum incepiti; pudet me tui. pœnitent peccati.

\* *Nota.* Hunc item Genitivum figuratum esse probabile est, quasi dices: pudet me tui *causa*, taedet me *laboris causa*; etc. Vel quod alii volunt: pudor, miseration, etc. me habet tui. Cujusmodi illud est: *venit mihi Platonis in mentem, subintelligitar sententia.*

### Appendices III. Generis.

**Quinque** hœc Verba, animi affectionem significantia, videntur quondam fuisse Deponentia, ut illud: *Quam Matris, nunc Patris memiseretur magis.*

### DE CONSTRUCTIONE VERBI INFINITI.

**V**erba Infinita eosdem Casus post se postulant, quos finita. Cic. *Malo te valentem, quam si atim imbecillum videri.*

## Appendices I. Generis.

Præteritum Prefectum Passivum, et Plusquamperfectum ex Infinitivo esse, vel fuisse, atque Participio Præteriti temporis supplentur, mutatis numeris, et generibus pro re, de qua agitur, ut: Cic. Clodium meo consilio interfectum fuisse dixisti.

Verbum esse, fuisse interdum omittitur. Cic. Negant lucem intueri fas esse ei, qui a se hominem occisum fateatur.

## Appendices II. Generis.

## Futurum Infinitum Activum.

*Fore* Futurum Infinitum tantum in usu est, jungiturque cum omnibus generibus, et utroque numero. Cic. Spero nobis hanc conjunctionem voluptati fore.

Cætera, quibus Prisci usi sunt, jam exolevere, pro quibus Infinito esse, vel fuisse, prout Oratio postulat, et Participio in rūs utimur. Cic. Illum ego futurum esse puto, qui esse debet.

Infinitivum esse frequenter desideratur. Cic. Ego bellum faedissimum futurum puto.

*Nota 1.* Priscis temporibus Futurum Infinitivum syllaba finitum, non secus ac fore omnibus generibus et utriusque numero accommodabatur, ut: Credebam inimicos meos hoc dicturum: Credebant omnia ex Sententia processurum.

Fuit et aliud Priscorum Futurum ssere syllabis terminatum, ut: Minatur se Oppidum expugnassere, pro expugnaturum. Puto te id facile impetrassere, pro impertraturum.

*Nota 2.* Participiis in rūs, et dus non solum Verbum esse, sed et fore recte jungitur, ut: Spero vos id libenter facturos fore. Ajunt brevi omnes exauthorandos fore.

## Appendices III. Generis.

## Futurum Infinitum Passivum.

*Futurum Infinitum Passivum ex Infinito  
iri voce simili Supino in um constat, ut: Amatum iri. Doctum iri. Omnibusque generibus, et utriusque numero tribuitur, ut: Jurat Pompejus prius ab eo se occisum iri, quam me violatum iri.*

*Nota.* Aliquem imperfectum ire, Amatum ire, Honorem habitum ire, Adjutum ire etc. idem prope est, ac: interscere, amare, honorem habere etc.

## Appendices IV. Generis.

Ratio supplendi Futurum Infinitum, maxime,  
cum Verba Supini carent.

*Fore ut, Futurum ut, Verbis: Spero, Puto, affirmo, Suspicio, et similibus juncta, eleganter Futurum Infinitum tum Activum, tum Passivum supplant. Cic. Nunquam putavi fore, ut ad te supplex venirem.*

*Hac circuitione subvenitur Verbis, quae Supinis carent, ut: Puto fore, ut brevi his incommodis medeare.*

## Appendices V. Generis.

*Circuitio illa: Futurum fuisse, ex Praeterito, et Futuro mista, non minimum Orationi adfert ornamentum, ut: Existimabant futurum fuisse, ut Oppidum amiteretur.*

*Haec Circuitio necessaria est, cum Verba Supinis destituuntur, e. gr. Affirmabant omnes futurum fuisse, ut Frater tuus Graecas litteras disceret, nisi lateris dolore consumptus fuisset.*

**Infinita** cum quibus Verbis copulentur?

**V**erbis: *Coepi*, *Soleo*, *Debeo*, *Cupio*, *Possum*, multisque aliis, maxime iis, quibus *Voluntas* explicatur, adduntur Infinita, ut: *Qui mentiri solet, pejerare consuevit.*

*Nota 1.* *Cœpi*, incipio, aggredior, ordior, ingredior, instituo munire urbem. *Verba Voluntatis*: *Cupio*, volo, nolo, malo, gestio, recuso, fastidio, deditnor. *Item*: *Gaudeo*, laetor, spero, confido, doleo, ægre ferō, etc. *Huc* pertinent *Verba Intellec[t]ionis*, ac *Sensuum*, ut: *Puto*, reor, autumo, arbitror, existimo, suspicor, auguror, experior, censeo, credo, intelligo, perspiccio, cognosco, scio, audio, video, tango, palpo, sentio, odoror, narro, refero etc. *Possum*, queo, valeo, etc.

Post hujusmodi Verba evitandus est familiaris aliquin Hungarismus, quò, ut in vernaculo, Subjunctivo cum Conjunctione *quod* utuntur, ut: *gaudeo*, *quod* *veneris*, *pro te venisse*, etc.

*Nota 2.* Evitandus item error alter, quo Infinitivum adhibent, post Verba 1. *Rogandi*, ut: precor, obsecro, supplico, oro, insto, insisto, hortor, svadeo, moneo, etc. te hoc facere. 2. *Eventus*, ut: Accidit, contingit, etc. 3. *Imperandi*, ut: Mando, præcipio, negotium do, permetto, concedo, indulgeo, etc. (excepto *Jubeo*) quod, ut sparsim hactenus memoratum, Conjunctivum, et Conjunctionem *ut* postulat.

### Gerundia.

**Gerundia**, quae Passionem non significant, Casus suorum Verborum admittunt, ut: *Tempus* *obliviscendi* *injuriarum*; *ignoscendi* *inimicis*; *coercendi* *cupiditates*; *abstinendi* *maledictis*.

### Gerundia in *DI*.

Gerundio in *DI* adduntur Substantiva: *Tempus*, *causa*, *studium*, *finis*, et cætera ejusdem generis. *Cic.* *Efferor studio Patres vestros videndi.*

Item nonnulla Adjectiva, ut: *Peritus, imperitus, cupidus, insuetus navigandi, ignarus dicendi*, et similia plura. Cic. *Sum cupidus te audiendi.*

### Appendix.

Gerundia in *DI* interdum Genitivum multitudinis pro Accusativo admittunt: Cic. *Doleo Stoicos nostros Epicureis irridendi sui facultatem dedissem.* Plaut. *Nominandi tibi istorum erit magis, quam edendi copia.*

### In *DO*.

Gerundia in *DO* modo sine præpositione adhibentur, ut: *Plorando defessus sum.* Modo præpositiones, maxime: *a, ab, de, in.* assument. Cic. *Ab invidendo invidentia recte dici potest.* In *scribendo impiger.* De *transeundo in Epirum agitas.*

Nonnunquam *e, ex, cum, pro.* Plaut. *Pro vapulando mercedem petam.* *Scribendi ratio cum loquendo conjuncta.*

### In *DUM.*

Gerundiis in *DUM* præponuntur Præpositiones *ad, ob, inter;* subinde *et ante,* sed rarius, ut: *Ineptus ad exequendum munus suum.* *Pecuniam accepit ob absolvendum.* *Inter edendum mortuus.* *Ante pugnandum animosus.*

### Gerundia Passiva.

Gerundia passionem significantia nullum post se casum admittunt, ut: *Memoria excolendo augetur.* *Ferrum tundendo fit habile.*

~~Nota.~~ Apud aureæ ætatis Auctores vix ejusmodi Passiva Gerundia reperies. Si quæ afferuntur, fere actionem significant.

## Ratio variandi Gerundia.

Gerundia, quæ Accusativo gaudent, sere elegantius more Adjectivorum ad hunc modum efferuntur: *Pompejus studiosus fuit defendendi Rempublicam, Servandi cives. Pompejus iudicatos fuit defendenda Republicae servandorum civium.* Ita, ut Gerundii casus maneat servato tamen Genere, et Numero Accusativi, ut: *Principis defendendae vestrae libertatis semper fui.*

## Participale Verbum in DUM.

**V**erbum Participale in *DUM*, accidente Verbo *Sum*, Dativum postulat, omnibus Verbis communem. *Liv. Hic vobis vincendum, aut moriendum est milites.* Casum item sui Verbi admittit, ut: *Tuo tibi judicio est utendum. Judicio, Proprius est verbi utor.*

*Nota.* Differt Participiale in *DUM* a Participiis cæteris, quod ea casus, genera, numeros admittant, et ab Activis vel Activæ significationis Deponentibus siant, Participiale vero a Neutris ductum, casu, Numerisque, careat. ut: *Assurgendum est Majoribus Standum promissis. sudandum, etc.* Nec enim: assurgendus, standus, dici potest.

## Appendix.

Si tamen Casus Verbi fuerit Accusativus, mutabitur Participale Activum in Passivum, hoc modo: *Petendum est tibi pacem; Petenda est tibi pax. Æternas quondam poenas in morte timendum est. Æternæ poenae timenda.*

*Nota.* Participiali cum Accusativo, etsi Varro, Virgilius, Lucretius, et sequioris ævi Macrobius frequenter usi sint, interdictum sibi putent tirones, nec dicent. n. g. Ejicendum est hanc animi mollitiem. Non ita claudendum nummos. Colendum Parentes, etc. loco: Ejicienda est mollities, claudendi numini, colendi Parentes.

Supina in *UM*.

Supina in *UM* amant Verba, quæ motum significant, ut: *Percontatum ibo. Exulatum abiit.*

Ante sē nullum, post se vero suorum Verborum casus habent, ut: *Ad Caesarem mittunt rogatum auxilia.*

Supina in *U.*

Supina in *U*, fere Passivæ significationis sunt sine Casu, adhærentque certis Nominibus Adjectivis, ut: *Optimum factu. Res visu faeda, et auditu.*

---

## DE CONSTRUCTIONE PARTICIPII.

**P**articipia eosdem casus habent, quos Verba, a quibus profiscuntur, ut: *Cic. Ancus ingenti praeda potitus, Romam revertitur.*

*Appendices I. Generis.*

Participia Passiva præteriti, et futuri temporis, maxime cum fiunt Nomina, etiam Dativo gaudent, ut: *Chremes mihi exorandus est.*

*Appendices II. Generis.*

Exosus, perosus, pertæsus Accusativum petunt, ut: *Patrios mores exosus. Pertæsus ignaviam suam.*

~~X~~ Nota 1. Participia: cœnatus, pransus, ausus, galvisus, sisus, solitus, fluxus, consideratus, circumspectus, etc. vocem quidem Passivam imitantur, sunt tamen significationis activæ.

~~X~~ Nota 2. Participia Passiva, Præteriti temporis sæpius Ablativum habent, ut: *vexati a te Cives. Juvenis a me amatus.* Ut et Futuri temporis, ut: *Senatus dum meam a Pontificibus liberandam, a Consulibus defendendam suscepit.*

## Participia facta Nomina.

Participia in *Aus*, et *Ens* interrogandi Casu gaudent. Terent. *Herus fugitans litium*. *Amans patriae*. *Patiens inediae*. *Mei amans*.

Nonnulla etiam Præteriti temporis, ut: *Consultus Juris*. *Doctus utriusque lingvæ*. *Expertus miseriarum*.

*Sic dicitur*: Homo mei observans. Rerum suarum negligens. Regionum sciens. Ferens laboris. Sitiens opum. Sui potens. Insolens iujoriæ. Frigoris intolerans, etc.

## Appendices I. Generis.

Participia Præsentis, Præteritique Temporis, cum Nominum naturam induunt, more eorum comparantur, ut: *Neminem habeo mei amantiorem*. *Nihil illo regno spoliatus, aut engentius*.

*Nota*. Nec omnia Participia comparativum admittunt, et quæ adpinnunt, usu discenda sunt. Apud Ciceronem reperiuntur: *Mortalium profligatissimus*. *Quis hoc Homine consideratior, quis rectior? Quis eo damnatior?* Apud eundem *Commendatior, commendatissimus. Irratior, irratissimus*.

## Appendices II. Generis.

Participis Futuri Temporis, addito Verbo Substantivo, eleganter utimur pro *debere*, vel *oportere*, ut: *Sum expectaturus fratrem, pro Frater est expectandus mihi*.

COMMUNES OMNIUM VERBORUM  
CONSTRUCTIONES.

— Hactenus de *propria*, atque *privata* Verborum Constructione dictum, nunc de *Communi omnibus dicendum* est.

## GENITIVUS COMMUNIS.

**P**ropria Pagorum, Castellorum, Urbium pri-  
mæ, vel secundæ Declinationis ponuntur in Ge-  
nitivo post quodvis Verbum, si interrogatio fi-  
at per Adverbium *Ubi*. ut: *Egnatius Romæ est.*  
*Varro Casilini latuit.* Dubitant quidam, di-  
cendumne sit: *Marcellus natus est Romæ nobili-*  
*li Urbe, an nobilis Urbis.* Cic. alias habet:  
*Antiochiae loco nobili et celebri, quondam Ur-*  
*be.* Alias cum praepositione in: *Neapoli in ce-*  
*leberrimo Oppido.*

Propria sequuntur Appellativa quatuor:  
*Humi, belli, militiae, domi.* Genitivo *domi*  
adjungi possunt Adjectiva: *meæ, tuae, suae,*  
*nostræ, vestræ, alienæ,* ut: *Theodori nihil*  
*interest, humine, an sublime putrescat.* Malo  
sine periculo *domi esse meae, quam cum peri-*  
*culo alienæ.*

*Nota.* Cum aliis Adjectivis utendum est Præpositi-  
one *in*. Neo enim recte diceretur: *Convaluit domi pa-*  
*ternae, sed in domo paterna.* Sic etiam dici potest: *in*  
*domo mea pransus est.* Cicero etiam dixit: *deprehensus*  
*domi Caesiris, et alibi: in domo Caesaris.*

SI Nomen fuerit tertię Declinationis, vel  
Pluralis Numeri, sexto Casu utendum est. *Alex-*  
*xander Babylone mortuus est.* *Lentulus Put-*  
*eolis agit.*

*Appendix.*

Dativo *Ruri*, vel Ablativo *Rure* ad inter-  
rogationem *ubi* utimur, ut: *Si illi sunt vir-*  
*gae ruri; at mihi tergum domi est.*

*Nota.* Videtur *Ruri* Ablativus priscus fuisse, ut: *Tyburi,*  
*Anxuri, Carthagini, pro Tybure, Aixure, Carthagine.*

## Motus ad locum.

Si per Adverbium *Quo?* fiat interrogatio, accusandi casu efferuntur, cujuscunque sint Declinationis, ac Numeri, ut: *Quo is? Romam, Brundusium, Carthaginem, Athenas, Delphos, Gades, Rus, domum.*

Si per *unde*, *vel qua?* fiat interrogatio, Ablativo utemur, ut: *Unde redis? Roma, Brundusio, Carthagine, Athenis, Delphis, Gadibus, Rure, domo.*

## Appendix.

Propria præpositionem accipiunt, maxime si quæstio fiat per *unde*, aut *quo?* ut: *A Brundusio nulla fama venit. Profectus ad Capuam.*

*Nota.* Hæc Ciceroni, Livio, aliisque elegantiae causa licuerint. Tironi, quod Cicero ipse innhit, ad Grammaticæ leges non licent, nisi fortasse Præpositiones *a ad ab* propinquitatem loci significant, ut apud eundem Ciceronem: *Caesar vel ad Capuam, vel Luceriam iturus putabatur, id est: ad viciniam Capuæ. Ad Messanam trajecit. Incipiunt accedere ad Syracusas. Cum copiis ivit ad Mutinam. Hyematum est ad Vejos.*

## Nomina Insularum, Regionum. etc.

Nomina Insularum, Regionum, provinciarum, cæterorum denique Locorum Præpositionem fere desiderant, ut: *Ex Sicilia in Africam gradus Imperii factus. In Tusculano te expecto.*

## Appendices III. Generis.

*Propriis majorum locorum interdum detrahitur Praepositio, praecipue a Poetis, et Historicis, ut: Ibitis Italianam, portusque intrare licebit. Quod tamen in Oratione sine Solecismo fieri nequit.*

Certa Appellativa sine Praepositione eleganter efferuntur; quae alioquin Accusativo cum Praepositione per efferenda essent, ut: Iter fecimus pulverulenta via. Iter terra facito. Vagatur Asia tota.

### DATIVUS COMMUNIS.

**Q**uodvis Verbum admittit Dativum ejus Personæ, in cuius gratiam, commodum vel incommodum aliquid fit, ut: *Tibi aras, tibi eidem et metes.*

*Nota.* Quidam hanc Regulam, ita reddunt: *Omne Verbum regit Dativum personæ, vel rei, cui aliquid accipitur, vel adimitur,* docentque a nullis Verbis Dativum regi, sed qui illi vulgo tanquam proprius tribuitur, revera communem esse. Id quod veri specie non caret, percurrenti verba: *dandi, narrandi, auxiliandi, favendi, imperandi, obediendi, ante vel postponendi, etc.*

### ACCUSATIVUS COMMUNIS TEMPORIS.

**T**empus Accusativo, vel Ablativo effertur, s per *quamdiu* fiat Interrogatio, ut: *Quamdiu regnavit Romulus? Septem et triginta annos vel anis.*

Si vero per *quando* fiat, Ablativo utinam, ut: *Negotium Magistratibus datum est anno superiore.*

*Nota.* Interdam ad questionem *quamdiu* respondetur. *Præpositionibus Ad, in, per.* Multus sermo ad multum diem. Annos ad quinquaginta natus. Perpotarit ad serum vesperum. Ad summam senectutem Tragædias scripsit. *In:* Id verbum in omne tempus perdidit. Amicus ero in perpetuum. *Per:* ut: Per hos annos. Per multis

tas ætates. Per triennium. Per biduum. *Intra*, ut: *Intra* viginti dies, intra decem annos.

2. Ad *Quando* respondetur Ablativo, ut: mense Septembri, Adulta æstate. Festo die. Nocte, dieque. Tertia vigilia. Multa nocte. *Puncto* temporis.

3. Quod si tempus significetur cum Præpositionibus *ante*, vel *post*, his Præpositionibus erit utendum. v. gr. Ante Autumnum redibo. Post Calendas me expectate. Ante vel post paucos dies adero. Si vero Præpositio adverbialiter sumatur, dicendum est. Paucis ante diebus. Uno anno ante. Quadruplicata ante, biennio post. Longo tempore post.

### ACCUSATIVUS COMMUNIS SPATII.

**C**uivis Verbo apponi potest Accusativus, qui distantiam loci significat, ut: *Negat se pedem a te discessisse. Abest ab Urbe millia passuum ducenta.*

*Nota.* Questio *quam procul?* melius Accusativo effertur, ut: Nonaginta passus. Tria milliaria. Medium horam. Iter unius diei. Pedes ducentos. Passus decem. Aberant biduum, triduum. Quando legeris: Castra bidui aberant, subintellige iter, vel viam.

Interdum Ablativo utuntur Auctores, ut: *Sex millibus passuum a Cœsar's castris confedit.* Ablativus Instrumenti, Causæ, Modi, Actionis.

**Q**uævis Verba admittunt Ablativum significantem Instrumentum, ut: *Pedibus iter confedit. Virgis cæsum necavit.*

Aut causam, propter quam aliquid fit, ut: *Vestra culpa haec acciderunt.*

*Nota.* Sic dicitur: tabescit miseria, dolore. Ardet tristitia, studio, amore, desiderio, cupiditate. Contremiscit

miscit rigore. Moritur fame. Facit aliquid metu, spe lacri, timore poenæ, etc.

2. Interdum causa cum Præpositione *Præ* est, quod Ciceroni frequens, ut: Non potui scribere, mœrore, gaudio, præ formidine, præ cura, cupiditate, lacrymis, fletu, et dolore.

Aut modum, quo aliquid fit, ut: *Pacem summa virtute, et incredibili celeritate confecit.*

**Modus Actionis** interdum Præpositionem *Cum* desiderat, ut Cic. *Cum ira nihil recte fieri potest. Cum febri domum rediit.*

*Nota:* Utendum est Præpositione *Cum*, si societas aut quasi societas significatur, ut: Redivit ad nos cum pallio, præmio, cum timore, periculo: cum laude, cum desiderio. Audiuntur Oratores cum severitate, Poetæ cum voluptate. Qua de re jam in Rudimentis actum.

### Ablativus excessus.

**Cuivis Verbo** adjungi potest Ablativus rei, qua excessus significatur, ut: *Scipio omnes sa-  
le, facetiisque superabat. Gloria omnes anteit.*

### Ablativus Pretii.

Quælibet Verba Ablativum admittunt, si-  
gnificantem pretium, ut: *Senatus tritici mo-  
dium tribus denariis aestimavit.*

*Nota.* Sic dicitur. Frumentum ternis Sestertiis fuit. Decem drachmis obsonatus est. Viginti talentis orationem vendidit. Multo sanguine stetit victoria. Magno illi cunctatio stetit, etc.

Verba quibus fere pretium significatur, sunt: Emo, coemo, paro, valeo, liceo, licitor, addico, loco, conduco, taxo, aestimo, *Sum* pro valeo.

His tamen Genitivis exceptis: *Tanti, quanti, tantidem, quanticunque, pluris, mi-  
noris.* De quibus alias dictum.

Ab-

## Ablativus absolutus.

Quibuslibet Verbis addi potest Ablativus absolute positus, ut: *Quod Auctore te velle coipi, te adjutore affequar. Ego te audiente posihac cautius loquar.*

*Nota.* Ablativus absolutus dicitur, quod cum altera constructione, seu sensus parte nullam connexionem habeat, id est, nec nomine, nec Verbum prioris in altera redeat, aut repetatur.

## Appendix.

Aliquando absolute ponitur Participium Præteriti sine Nominе, ut: *Comperto, qua hostes tenderent, castra movit.*

*Nota 1.* Talia sunt: Excepto *quod*: Verba nunciandi etc. ut: Comperto, cognito, intellecto, viso, auditio, nunciatio.

*Nota 2.* Ablativi absoluti certissimum signum est particula *post* ante Participium Præteriti: Peracto labore licet esse otiosis. Finita concione. Amissa libertate, etc.

*Nota 3.* Sæpe etiam Nomina Adjectiva, et Substantiva sine Verbo effreruntur Ablativo absoluto, post Präpositiones in vernaculo: *cum, ad, post, contra*, etc. v. g. Deo bene propitio, te auctore, svasore, impulsore, omnium opinione, me consciente, te judice, te patrono, omnibus præsentibus, me invito, te ductore, sereno coelo, etc.

*Nota 4.* Huc pertinent illa: Mario Consule. Cæsare Dictatore, Teucro Duce. Dum erat Cæsar Dictator, Teucer Dux.

Brevis, ac tuta Methodus Ablativum absolutum rite struendi; uti et Particulas Postquam, dum etc. nec non Conjunctionem et omittendi.

*Admonitio.* Latina lingua vernacula nostram brevitatem longe superat, quod ope Ablativi absoluti, et Participiorum, quibus ex parte destituimur, e duabus Con-

Constructionibus unam faciat. Nec alia difficultas Grammatices studiosis Tyrunculis plus negotii facessit; quibus ideo præ ceteris studiosius inculcanda, et creberri-  
ma exercitatione in usum denique deducenda erit.

Nonnulli Prædagogi in eam rem cuimulos Precepto-  
rum congesse, quibus fere fit, ut obruantur, turbentur,  
ac veluti totidem laqueis constricti impedianter magis,  
quam explicentur, et levantur. Ego doctrinam hanc  
quatuor iisque perspicuis, ac præpœ generalibus Regu-  
lis complexus sum, quas duabus tribusve prælectioni-  
bus ita explicari posse, experimento didici, ut exer-  
citio accidente pueri, quamvis in re difficulti satis,  
haud facile aberratur sint. Recolenda autem erunt,  
quæ de omissione Relativi *Qui, quae, quod*, in Infima  
Grammatica tradita sunt, ad quam hæc regulæ referun-  
tur. Hic vero prædicta sunt sequentia.

Primo: Constructio alia est *Conjunctiva*,  
alia *Subjunctiva*. Conjunctiva est, in qua  
particulæ *postquam, cum, quia, quando, si* etc  
reperiuntur. Subjunctiva vero est, quæ *Conjun-  
ctivæ* adhæret, et sub jungitur. Quamquam, jam  
hæc, jam illa præponatur. Idem enim, est si di-  
cas: *Dum calet ferrum, tundendum est, ac: tun-  
dendum est ferrum, dum calet.*

Secundo: In Subjunctiva interdum nihil  
ex Conjunctiva repetitur, interdum vero repeti-  
tur rectus, vel obliquus, id est, Nominativus, vel  
alius Casus, per Pronomen: *Hic, iste, ille, ipse,  
is, idem.* Ut in hac: *dum Ego lego, tu dormis.*  
nihil repetitur. At in hac: *dum Petrus legit,  
eum turbas,* per Pronomen *eum* repetitur No-  
minativus.

### *REGULA I.*

Si in Subjunctiva nihil repetatur, Nominati-  
vus in Ablativum absolutum, Verbum vero  
in

in Participium Præsentis, Præteriti, vel Futuri, eodem modo mutatur, quo de Relativo *qui*, *quae quod*, dictum est. Ut: *si Deus velit, fiet.* *Deo volente fiet.* *Dum Roma deliberat, Saguntum perit.* *Roma deliberante Saguntum perit.*

Sic. *Cum dormirent Homines, supervenit inimicus.* *Dormientibus Hominibus.* *Postquam nundinae elapsae sunt, emptum venit.* *Nundinis elapsis.* *Dum silerent omnes, vociferari coepit.* *Silentibus Omnibus.*

## REGULA II.

Si vero in Subjunctiva Casus aliquis per Pronomen repetatur ex Conjunctiona: 1. Præpones Subjunctiyam. 2. Pronomen Conjunctivæ mutabis in Nomen Subintellectum. 3. Loco postquam ponito, *qui*, *quae*, *quod*, et construito, sicut omissum Relativum.

V. g. *Postquam hostes fluvium transgressi sunt, eos caecidimus.* 1. Præponito Subjunctivum: *eos caecidimus.* 2. Loco Pronominis *eos* ponito nomen Subintellectum *hostes*. 3. Loco postquam fingito *qui*, *quae*, *quod*. *Hostes caecidimus, qui fluvium transgressi sunt.* Omissio Relativo: *Hostes caecidimus fluvium transgressos.*

*Nota.* autem: Verbum melius post Participium, seu ad finem Constructionis poni: *Hostes fluvium transgressos caecidimus.*

Sic: *Dum mihi amici succurrerent, invadabantur: Amici mihi succurrentes.* Quia Pater iratus fuit, ei obloqui nolui. *Patri irato.* Nisi lenitas te corrigat, verbera expectato *Dum ferrum calet, cedendum est fabro.* Ferrum calens. Postquam Pater equum emit, Filius cum lusu perdidit. Si Cæsar venerit, ei Filium obviam mittam. Postquam multa questus est, os ei compressere: *Multa questo os compressere.*

*Exceptio.* Quod si 1. In Subjunctiva Nominativus, seu *rectus* Conjunctivæ repetatur, et 2. Verbum Activum Perfecti, aut Plusquam Perfecti Temporis suum Accusativum habeat, tum hic Accusativus in Ablativo, Verbum vero in Participio Præteriti ponitur.

V. g. *Postquam opera labore suum peregere, eas solvi.* Verte, ut in superiori Regula: *operas, solvi, quae labore suum peregere.* Omissio Relativo: *operas labore solvi peracto.*

Sic: Postquam Romulus Numitorem occidit, Regem se fecit. *occiso Numitore.* Cum vix somnum vidissim, experrectus sum. *Wix somno viso.* Postquam thema tuum confeceris, tibi exire licehit. Cum hunc librum perlegerim, alium mihi comparabo. Ut primum Tabellarius litteras reddidit, reversus est. Quia Cicero eloquentia omnes vicit, Consul factus est. Postquam Marcus debita persolvit, in carcerem conjectus est. *Persolutis debitibus.*

*Nota.* Posset item Conjunctiva resolvi in Participium Præteriti præfixa prepositione *post* v. g. *Post peractum labore operas solvi.* omissio vero *post* adhibetur ablativus absolutus: *peracto labore.* Sic: post *Numitorem occisum, occiso Numitore.* Romulus, etc.

### REGULA III.

Verbum non semper poniendum est in eo tempore, in quo ante fuit, sed considerandum, an Conjunctiva fiat *ante* Subjunctivam, vel *simul*, eodem tempore, vel *post* illam: *si ante,* semper fiet Participium Præteriti; *si simul,* Participium Præsentis; *si post* Participium futuri. v. g. *Postquam Urbs capietur, diruetur;* quia significatum Conjunctivæ, nempe *capi ur-*

*bem*, prius fieri debet, quam significatum sub-  
junctivæ, nempe: *dirui urbem*; dicendum erit:  
*Capta urbs diruetur.*

*Sic*: Si omnes expellentur, tu non supereris. *Omnibus expulsis*. Nisi te emendaris, nihil a me boni speraveris. *Non emendatus*. Si ignis citius extinctus fuisset, haud ita nocitus erat. *Citius extinctus*. Postquam fur comprehendetur, pendebit. *Comprehensus*. Si puni-  
retur, jugum excuteret. *Punitus*. Si me amabis, te re-  
damabo, te amantem, vel amaturum. Si eligereris Con-  
sul, omnes timerent. *Te electum Consulem.*

#### REGULÀ IV.

##### De omittenda Particula Copulativa, *Et.*

Quando vel expresse, vel tacite subintelle-  
cta particula *Et* omittenda est, Constructio ean-  
dem præcedens, non autem subsequens, fere  
secundum primam, secundam, vel tertiam re-  
gulam, et eodem modo facienda est, ut in o-  
missa postquam, vel Relativo.

V. g. *Secundum 1. Regulam.* Roma deli-  
berat, et Saguntum perit. *Roma deliberante.* *Se-  
cundum 2.* Hostes fluvium transgressi sunt, et  
nos eos cæcidimus. *Hostes transgressos.* *Se-  
cundum. 1. et 2.* Pontem perfecimus, hostem  
insecuti sumus, et victoriam retulimus. *Ponte  
perfecto, hostem insecuti, victoriam retulimus.* *Secundum 3. regulam.* Caupo salutat hospi-  
tes, laute tractat, nec tamen recipere quid-  
quam vult. *Caupo a salutatis hospitibus,  
lauteque tractatis nihil tamen recipere vult.*

*Sic*: Multos hostes interfecere, magnas prædas re-  
tulere, et civibus metum omnem exemere. A multis  
hostibus perfectis, magna præda relata. Si ita per-  
græaberis, et pecunias lusu perdes, et valetudinem  
af-

affliges, et in morbos plures delaberis, et præmature peribis. Ita pergræcatus vel pergræcaturus, perditus ludo pecuniis, afflita valetudine in morbos delapsus, præmature peribis. Scipio classe defertur in Africam, occupat Carthaginem, Victor in Siciliam redit. Scipio classe delatus in Africam, oecupata Carthagine, victor in Siciliam redit. Pompejus extrema hyeme bellum apparat, ineunte vere incipit, media æstate conficit. Bellum apparatus, ineunte vere suscepit, media, etc.

*Nota.* Haud infreqüens est, ut non modo, *Et particulam præcedens, sed etiam subsequens Constructio per Ablativum absolutum, vel Participium fiat.* Exemplis res clarior fiet. Demigrarunt ex urbe, et præter arma nihil secum extulere. Ex urbe *demigrantes*, nihil secum etc. Sol ortus tenebras dispulit, et diem re vexit. Sol ortus dispulsi tenebris diem revexit. Vel. Sol die revecta tenebras dispulit. Arma Romani auxere, et voluptates perdidere. Romam armis auctam voluptates perdidere. Vel. Romam arma auxere, voluptatibus deinde perditam. Apud te crescent anni, et decrescit prudentia. Apud te *crescentibus annis* decrescit prudentia. *Vel* Apud te crescent anni decrescente prudentia. Vide, quæ in ornata nostra Syntaxi de Participiorum usu pluribus tractavimus.

### De Verbo *Sum*.

*Postquam, Si, etc. et Copulativa Et cum Verbo Sum* perinde omittuntur, ut Relativum. v.g. *Si* diligentior es, plus tibi donarem. Diligentiori tibi plus etc. *Si* diligentior es, forem liberarior. Te diligentiore forem liberarior. Te futurum Consulem omnes amabunt. Te futuro Consule urbs reviviscet.

*Nota.* Interdum loco *Sum* Verbum aliud adhibetur, ut: Cum Romæ essem, mihi scriptum est. Mihi Romæ agenti, degenti, existenti, moranti, habitanti scriptum est.

## DE CONSTRUCTIONE NOMINIS.

## REGULA I.

Genitivus post Nomen Substantivum.

**Q**uotiescumque duo Nomina Substantiva rerum diversarum in Oratione continuantur, alterum erit Genitivi Casus, ut: *Supplicium est poena peccati. Verecundia est maximum adolescentiae ornamentum,*

*Nota.* Subiude Substantivum alterum per figuram omissionis subintelligitur, praesertim Accusativus: ædem, sanum, templum, ut: Cum ad Dianaæ veneris, ad D. Petri, D. Annæ, etc. Intellige ædem.

## Appendix.

Adjectiva cum substantive ponuntur, more Substantivorum construuntur, ut: *Tantum cibi, potionisque adhibendum, quo reficiantur vires, non opprimantur.*

*Nota.* Hujus classis sunt: multum scientiæ, parum conscientiæ. Plurimum doctrinæ, pietatis minimum. Quantum diligentia, tantum fructus. Minus viae, plus viatici. Mors postremum laborum. Ad ultimum inopæ deuentum.

Item: quædam Pronomina, ut: *Quid novi? Quid hoc hominis? Quid illud monstri? Aliquid mali imminet. Nihil litterarum accepi.*

Illa Poetica sunt, vel Historica: *Angusta vidrum. Abdita causurum. Occulta saltuum. Incerta fortunæ.*

## REGULA II.

Genitivus, vel Ablativus post Nomen Substantivum.

Substantiva cum ad Laudem, vel Vituperationem referuntur, Genitivo, vel Ablativo gaudent, ut: *Praestanti prudentia vir. Maximus*

*mi animi homo. Singularis ingenii, vel inge-  
nio puer.*

*Nota.* In aliquibus Genitivus usitator est, ut: Nullius consilii, nullius pretii, nullius frugi, homo omni-  
um horarum.

### REGULA III.

*Genitivus post Nomen Adjectivum.*

Adjectiva, quæ scientiam, communionem, copiam, et his contraria significant, cum Genitivo junguntur, ut: *Peritus, ignarus, par-*  
*ticeps, expers, plenus.* Sic: *Stultorum plena  
funt omnia.*

*Nota.* Scientiam significant: *Juris peritus, consultus,*  
*consilii certus, iocorum prudens, rerum rusticarum cal-*  
*lidus, Musicae docilis, linguae gnarus.*

Certior vel Genitivum habet, vel Ablativum cum Präpositione *de*, ut: Certiorem me fecit victoriæ, vel de victoria. *Contraria.* Gens maris *imprudens.* Futuri *ignarus.* Inscius, *ignarus novorum.* *Incensus sententiæ, etc.*

~~X~~ Adjectiva *communionis:* *Compos voti,*  
*compos mentis. Consors infortunii. Contraria:*  
*Exors culpæ. Animi impos.*

~~+ Copiae.~~ Vitiorum *refertus:* *Dives opum,*  
*Faecundus, fertilis frugum. Satur rerum o-*  
*mnia. Ferax frumenti. Contraria.* Omnia  
*egenus. Amicorum inops. Pecuniae parcus, mo-*  
*dicus. Curarum vacuus. Vitiorum immunis.*  
*Viduus, orbus argenti.*

Item quaedam in *ax, ius, idus, et osus,*  
ut: *Philosophus tenax recti. Nullius culpæ con-*  
*sciens. Avidus virtutis. Studiosus litterarum.*

Qui-

*Quibus adde: memor, immemor, securus, ut: Memor beneficii. Immemor injuriarum. Securus rumorum.*

*Nota.* Talia Nomina in *ax* sunt: *capax* urnarum decem. *Tempus edax* rerum. *Alieni rapax*. *Frumc̄enti ferax*.

In *ius*: *dubius* futuri. *Anxius* rerum suarum. In *idus*: *Providus* futuri. *Cupidus* auri. *Timidus* procellæ. *Suarum* rerum *trepidus*.

Ejusdem generis sunt: *Integer vitae, scelerisque pusillus. Laudis avarus.* etc. Quæ tamen Historicorum fere sunt, et Poetarum, Hellenismi Figura liberaliter utentium.

## REGULA IV.

### De Partitivis.

*Partitiva Genitivo* multitudinis gaudent, ut: *Elephanto belluarum nulla est prudentior.*

*Nota.* Partitiva sunt: *alius, alter, aliquis, quidam, quisquam, quispiam.* Alteruter *vestrum*, *nemo, nullus civium, neuter vestrum, quis, ecquis?* Quiçunque, qui-libet, quivis, quisquis, uterlibet, utercunque, uterque.

Item Numeralia omnia, ut: *Primus vestrum.* Denique quæcunque Adjectiva, quæ partitio-nem significant, ut: *multae istarum arborum. Cum paucis amicorum.*

*Nota.* Seu Numerale *Cardinale* sit, ut: *unus meorum, duo tuorum, etc.* seu *Ordinale* ut: *Primus du-cum, secundus militum, etc.* Seu *Distributivum*, ut: *Singuli discipulorum, bini civium, etc.* Hæc tamen etiam cum suo Substantivo convenire possunt genere, numero, et casu, ut: *Nulla bellua, aliquis discipulus, pri-mus Dux, etc.*

## REGULA V.

### De Superlativis.

Si multa ejusdem generis comparantur, utendum est Superlativo cum Genitivo plura-

li, ut: *Eloquentissimus Philosophorum. Summus Oratorum.*

*Nota.* Hoc idem intelligendum est de Adyerbiis, ut: *Maxime omnium te decet. Maxime omnium placuit. Reliquorum elegantissime scribit.*

### Appendix I.

Tam Superlativa, quam Partitiva etiam Genitivo singulari, qui multitudinem significat, conjunguntur. *Orator hujus aetatis disertissimus. Plato totius Graeciae doctissimus.*

*Nota.* Ejusmodi Collectiva Nomina sunt: *Populus, gens, natio, plebs, proceres, urbs, civitas, municipium, oppidum; pagus, aetas, saeculum, turma, turba, exercitus, multitudo, societas, collegium, coenobium, senatus, schola, Gymnasium, curia, Italia, Graecia, pro Itali, Græci, etc.*

### Appendix II.

Tam Superlativa, quam Partitiva; quæ cum suis Substantivis casu cohærent, et genere, Numero consentiunt, ut: *Indus omnium fluminum maximus.*

Quodsi nullum sit Substantivum, cum Genitivo, quod attinet ad Genus, consentiunt, ut: *Summi, infimique Gabiorum, eminentissimi Graecorum.*

*Nota.* Docuere quidam Grammatici, sed falso, Superlativum, et Partitivum cum Genitivo concordare debere. Nec enim recte diceretur: *Leo animalium fortissimum, sed fortissimus. Hordeum frugum mollissima, pro mollissimum.*

2. Si Genitivus sit Nominis Collectivi, etsi Substantivum nullum adsit, haud necessario cum eodem in Genere, vel Numero concordabit, ut: *Summi, infimique civitatis, nullus hujus oppidi.*

Ap-

## Appendix III.

Genitivus tam Superlativi, quam Partitivi, in Ablativum cum Præpositione *e vel ex, vel de* mutari potest: *Ex his omnibus natu minimus*

*Nota.* Sic dices: *Ex omnibus audacissimus.* Duo de tribus filiis. Quidam e Philosophis. Multi de victoribus E tot tuis beneficiis hoc erit gratissimum. etc.

Mutatur interdum Genitivus Superlativi in Accusativum cum Præpositione *inter, vel ante,* ut: *Inter suos honestissimus.*

*Nota.* Et hoc modo loquimur: *Inter Reges opulentissimus.*

## Appendix IV.

Superlativa præter proprium Casum, admittunt etiam Casum sui positivi, ut: *Juris civilis omnium peritissimus.*

## REGULA VI.

Genitivus, vel Dativus post Nomen.

Nomina, quæ similitudinem, aut dissimilitudinem significant, interrogandi, vel dandi Casum exigunt, ut: *Domino similis. Patri similis.*

Item: *Communis, proprius,* ut: *Id senectutis proprium non est. Hoc Cæsari proprium est.*

*Nota.* Similitudinem significant: *Consimilis Deo. Affinis sceleri, suspicioni. Aequalis majoribus.* Porro: *aetatis*, cum ejusdem aetatis hominem, seu coævum significat, Genitivo jungitur, ut: *Gratus Scipionis aequalis.*

Huc item pertinent: *Insvetus laboris, vel labore. Superstes fratrum, vel fratribus. Par vero, et impar ad sequentem Regulam referuntur.*

## REGULA I.

*Dativus post Nomen.*

Nomina, quibus *commodum*, *voluptas*, *gratia*, *favor*, *aequalitas*, *fidelitas*, et his *contraria* significantur, Dativum poseunt, ut: *Consul salutaris*, *vel pernicious Reipublicae*.

*Commodum* significant: *Salubris* valetudini herba. *Fructuosus* nobis ager. *Secundus* navigationi ventus. *Contrar.* *Pernicious*, *noxius*, *damnosus*, *exitialis*, *funestus*, *lethalis* Reipublicæ civis.

*Voluptatem*, *gratiam*, *favorem* significant: *Gratus* omnibus, *gratiosus* Principi, *jucundus*, *acceptus*, *charus* convivis. *Aequus*, *benevolus*, *blandus*, *addictus*, *propitius* plebi Senatus. *Musicae deditus*. *Contrar.* *Molestus*, *acerbus*, *iniquus*, *adversarius*, *odiosus*, *inimicus* Civitati universæ.

*Fidelitatem* significant: *Fidus*, *infidus*, *perfidus*, *perduellis*. *Aequalitatem*: *par*, *impar*, *compar*, *dispar*.

*No a.* Quando *Par* non signif. cat aequalitatem, et ponitur cum Verbo *Sum*, loco Verbi *Possim*, tunc loco *par sum onus ferre*, melius dicitur: *Par sum ferendo oneri*. *Par sum solvendis debitis*. Elegantius vero, si *Par* per Ecclipsim omittatur. *Sum ferendo oneri*. *Sum solvendis debitis*.

Nominum Dativum regentium eadem fere vernacula, quæ latina Syntaxis est.

Item Verbalia in *bilis*, ut: *Amabilis suis*. *Formabilis hostibus*. *Optabilis omibus*.

Talia sunt quamplurima, ut: *Affabilis*, *exorabilis*, *placabilis*, *sociabilis*, *flexibilis*, *damnabilis*, *penetrabilis*.

Quædam præterea, quæ ex Præpositione *con* componuntur, ut: *Mihī conscius sum*.

Talia sunt: *Consentanea* veritati narratio. *Conjunctus mihi*, et *consanguineus*. *Nostris finibus contiguus*, *conterminus*. *Congrua* temporibus Oratio. *Concors*, *concolor* nobis.

Adjice: *Supplex* Judici. *Obvius* Clōdio. *Obnoxius* calumnii. *Pervius* vento. *Discolor*, *discors* nobis. *Inna-*

ta omnibus cupiditas, et plurima alia usu discenda, et lectione.

*Nota.* Conscius præter Dativum personæ, Genitivum rei habet, ut: Nullius mihi culpæ conscius sum. Conscius sum tuæ vitæ.

## REGULA II.

*Dativus, vel Accusativus post Nomen.*

*Accommodatus, appositus, aptus, idoneus, habilis, utilis, natus, et quædam his contraria Dativum, vel Accusativum cum Præpositione ad regunt, ut: Helluo abdomini, non laudi natus. Vir ad omnia summa natus.*

## REGULA III.

*Accusativus, vel Ablativus post Nomen.*

Adjectiva, quibus generalis dimensio significatur, Accusativum, vel Ablativum postulant, qui certam mensuram significat, ut: *Fossa sex cubitis alta, quinos lata.*

*Nota* 1. Generalem dimensionem significant: *Longus, latus, altus, profundus, crassus*; certam vero mensuram: *Digitus, uncia, palmus, cubitus, ulna, dodrans, orgya, virga, passus, stadium, milliare, vel milliarium.*

2. In Comparativo, quod infra dicetur, melius Ablativus usurpatur.

## ABLATIVE POST NOMEN.

### REGULA I.

*Extorris, nudus, dignus, contentus, inanis atque refertus, inops, locuples, alienus, onustus, immunis, plenus, cassus; divesque, potensque, fretus, vacuus, tum captus, præditus, orbus, indignus, liber, viduus sibi jure Ablativum assumunt Casum, ut: Summo vir dignus honore.*

*Nota.* E recensitis Nominibus ea, quæ copiam vel inopiam significant, ut: *Plenus, refertus, dives, etc.* quod supra dictum, vel Genitivum habent, vel Ablativum.

*Extorris-patria, contentus modico, onustus vino, spretus, senectute confessus, captus pedibus, liber terrore. Alienus vel Dativum habet, vel Ablativum, ut: Hoc Necessitudini nostrae, vel necessitudine nostra, vel a necessitudine nostra alienum est.*

### REGULA II. Opus.

*Opus*, Nomen Adjectivum antecedente Verbo *Sum*, Ablativum postulat, ut: *Nihil opus est arte ad hanc rem.*

Saepe etiam cum Substantivis more Adjectivorum consentit, neque tamen in Casus declinatur, ut: *Dux nobis opus est. Dices: numeros mihi opus esse.*

*Nota 1.* *Hac re opus habeo, vel hanc rem, permulti negant, latine dici posse.* 2. Interdum loco *Opus*, usus adhibetur eodem construendi modo, ut: *Viginti minis filio usus est.*

### REGULA III.

Adjectiva *Diversitatis*, et *Numeralia Ordinis* Ablativum cum Praepositione *a* vel *ab* admittunt, ut: *Totus a te diversus sum.*

Item: *Securus, liber, vacuus, purus, nudus, inops, orbus, extorris*, ut: *Liber ab omni sumptu.*

*Nota.* Diversitatem significant, *alius* ab *illo*, *alienus* a *me*. *Ordinalia:* *Ancus secundus a Rege, primus a quarto.* Item: *Securus a furibus, vacuus a curis, purus ab omni labore, nudus ab amicis, inops a militibus, extorris a patria.*

### REGULA IV. Comparativa.

Comparativo utimur cum Ablativo, quando vel duo diversi generis comparantur, ut: *Lu-*

*ce clariora sunt tua consilia.* Vel cum duo ejusdem, aut diversi generis comparantur, ut: *Quaevis dies acerbior priore. Virtus pretiosior auro.*

*Nota.* Idem de Adverbii intellige, ut: *Melius aliis loquitur.*

### Appendix I.

Ablatiuus Comparativi intercedente conjunctione *quam*, mutari potest in Casum Verbo congruentem, ut: *Tu innocentior, quam Meltellus.*

### Appendix II.

Comparativa, quemadmodum et cætera Adjectiva; cum *partitionem* significant, Genitivum desiderant, ut: *Agebant id juniores Patrum.*

Oratores tamen saepius Ablativo utuntur cum Praepositione *e vel ex*. ut *Prior ex duobus.*

Sic dicitur: *Animalium sapientiora. Major Neronum. Parentum infelicior.* Quamquam Genitivi loco Ablatiuus cum Praepositione *de* vel *ex* melius adhibetur, ut: *Ex animalibus fortius.*

### Appendix III.

Præter suum Casum admittunt Comparativa Ablativum significantem *excessum*, ut: *Turris denis pedibus muro altior.* Item casum sui positivi, ut: *Mihi nemo te amicitior, nec jucundior.*

Denique hos Ablativos: *Opinione, spe, aequo, justo, solito, dicto,* ut: *Opinione omnium majorem coepi dolorem.*

*Nota.* Hi Ablativi Comparativo fere præponuntur, quamquam et subsequi possint: *Opinione Major. Spe citius redit. Vir aequo, justo severior. Dicto citius Nihilo melior.*

## REGVLA V.

*Ablativus Laudis, vel Partis.*

Pleraque Adjectiva Ablativum postulant significantem *Laudem*, vel *Vituperationem*, vel *Partem*, ut: *Non tam genere insignis, quam vitiis nobilis. Lingua haesitans, voce absonus, vultu agrestis.*

*Sic: Homo virtute, loco, ingenio, copiis ornatus. Oratione durus, et moribus neminem, nec formam aptiorem, nec voce pleniorum, nec moribus savorem vidi. Crine ruber, niger ore, brevis pede, lumine luscus, manibus aeger.*

*Appendix.*

Ablativum *Partis* frequenter in Accusativum mutant Poetæ, ut: *Os, humerosque Deo similis. Item Historici, sed rarius, ut: Sarmatae totum corpus bracciati.*

*Nota.* Accusativus *caetera*, pro de cætero, cæteris paribus frequens est apud Livium, ut: *Regnum caetera egregium. q. d: quoad caetera.*

## DE CONSTRUCTIONE PRONOMINIS.

## REGULÀ I.

*Genitivus Pronominis Demonstrativi.*

**P**ronomina Demonstrativa, cum substantiæ ponuntur, patrum Casam admittunt, ut: *Hoc litterarum ad te dedi.*

*Nota.* Homo id ætatis, id noctis ad me venit. Non erit id virium, hoc commodi, hoc uovi, hoc temporis, etc.

## Appendix.

Pronomen *Idem*, cum Dativo apud Poetas reperitur, ut: *Invitum qui servat; idem facit occidenti.* Oratores vero sic loquuntur: *Peripatetici, idem erant, qui Academicci. vel Peripatetici, et Academicci idem erant.*

*Nota.* Sine Classicorum exemplo vulgo dicimus: *Idem est cum illo. Peripatetici idem cum Academicis.*

## REGULA II.

*Genitivus post Possessivum.*

Possessiva: *meus, tuus, suus, noster, vester* loco Genitivorum: *mis, tis, sis, nostrum, vestrum* posita, Genitivum postulant, ut: *Perspexi tuum adolescentis studium.*

*Nota.* Antiquissimis sæculis pronomina, *ego, tu, sui* etiam Genitivum habuere *mis, tis, sis*, In quorum locum successere possessiva *meus, tuus, suus*, quæ non solum cum Genitivis *unius, solius, ipsius, duorum, trium, paucorum, cujusque*, sed aliis etiam junguntur, ut: *mea Patris vestigia* persecutare. *Tuum hominis simplicis pectus. Tuum solius peccatum. Tuum eruditissimi Viri judicium. Mea domi togati, foris armati industria. Nostra Prætoris proximi exempla sequere.*

## REGULA III.

*Genitivus mei, tui, sui, nostri, vestri.*

Verba, Participia, et Nomina Adjectiva Genitivum regentia, Genitivis: *mei, tui, sui, nostri, vestri* gaudent, ut: *Tui indiget. Mei amantem amo. Memor vestri. Oblitus sui.*

*Nota.* Hinc excipe Verba: *Interest, et refert*, ut suo loco dictum, quibus Ablativi sunt: *mea, tua, sua, nostra, vestra, additis etiam cæteris Genitivis, ut: Mea Consulcis, Praetoris, Rempublicam administrantis interest.*

## Exceptio.

Nomina Numeralia, Partitiva: Comparativa, Superlativa. Genitivos: *nostrum*, *vestrum*, exigunt, ut: *Primus vestrum*. *Singuli nostrum*. *Major*, *maximus vestrum*. *Omnium vestrum bona*.

*Nota.* Etsi recte dicatur *amantissimus vestri*, si tamen partitivum accedit, aut numeralē, dicendum erit: *amantissimus utriusque vestrump*. Interest omnium *nostrum*. Salus omnium *nostrum*. Egō singulorum *vestrum*.

## REGULA IV.

## Pronomina post Substantiva.

Possessiva *meus*, *tuus*, *suus*, *noster*, *vester*, cohærente cum suis Substantivis in Genero, Numero, ut: Casu, cum possessio, vel actio significatur, ut: *Liber meus*. *Ager tuus*. *Studium vestrum*. *Labor vester*.

## Exceptio.

At si Substantiva significant partem aliquam generalem corporis, vel animi, cuiusmodi sunt: *Pars*, *dimidium*, *portio*, *aliquid*, *quidpiam*, etc. Genitivis Primitivorum uteatur, ut: *Nullam mei partem amisi*, id est: *non manum*, *pedem*, *memoriam*, *mei dimidium*.

*Nota.* Aliud est de parte certa, ut: *meum caput*, *meus pes*, *mēa voluntas*, *intellectio*, *mea manus*, etc

## Appendix.

Substantiva, quorum ambigua est significatio, ut: *Charitas*, *amor*, *memoria*, *desiderium*, *cura*, itemque cætera, si possessio nem, actionemque significant, Possessivis adhærescunt, ut: *Amor meus*, *Desiderium meum*, *quo amo*, *desidero que*.

Si passionem significant, Genitivos *mei*, *tui*, *sui*, *nostri*, *vestri* flagitant, ut: *Amor mei*, *desiderium mei*, quo *amor*, *desideriorque*.

Aliquando utrumque conjungitur, ut: *Vehementer tua mei memoria delector*. *Grata est mihi memoria nostri tua*.

*Nota.* Talia Substantiva sunt affectionum plerisque, quae activam, vel passivam significationem admittunt, ut: *Odium*, *adversatio*, *contemptus*, *sollicitudo*, *dilectio*, *charitas*, *memoria*, *recordatio*, *oblivio*, *timor*, *studium*, *tedium*, *fastidium*, *estimatio*, *miseratio*, *cupiditas*. Sic: *Tuum odium mihi nocebit*. *Tuam solitudinem, curam, studium magni aestimo*. *Tui curam Fratri commendabo*.

*Nota 2.* Dicitur nihilominus: *Vulnus meum, injurya mea, imago mea*. *Mea causa, tua, sua etc*.

*Nota 3.* Huc referto ilia: *Si tui praesentis potestas fuerit. Sui copiam facere. Utinam tui praesentis facultas sit*.

### REGULA V.

*Reciproca Sui, sibi, se.*

*Reciprocis Sui, sibi, se utimur, cum tertia Persona transit in seipsum, ut: Caesar recordatur sui, indulget sibi, armat se, loquitur secum.*

Et antecedente Verbo altero, ut: *Marcellus te Caesar precatur, ut ignoscas sibi, ne se hostem putas*.

*Reciprocum Suus.*

*Reciproco Suus utimur, cum tertia persona transit in rem possessam, ut: Recordatur Liberti sui. Indulget liberis suis. Defendit suos clientes. Scripsit manu sua.*

Et accedente altero Verbo, ut: *Timet Pompejus, ne deseratur a suis veteranis*.

## Appendix.

Utimur Reciproco *Suus*, cum res possessa  
in Possessorem transit. *Ulciscentur illum mo-*  
*res sui. Hunc sui Cives Civitate ejecerunt.*

## Brevis methodus Reciprocis rite utendi.

*Admonitio.* Si uspiam locus est monito, certe in Reciprocorum doctrina præceptionum parcum esse, usuique, ac lectioni honorum Auctórum relinqu plurimum oportet. Quidam rem totam hoc Præcepto unico plane explicant: *Nisi Amphibologia. vel Conjunctio copulans intercedat, nunquam non Reciproco utendum.* Quod Viris fortasse, non item Tironibus satisfaciat. Alii quidam viginti e Despauterio Regulas congerant, quas si pueris exhaustiendas obtruseris, id demum consequere; ut tot usque laqueis confusi, anxi, nec exitum videntes; ipso errandi metu errent: Paucis itaque, ac certis Regulis viam Tironi præsignandam duximus; in eam vero rem præmonendi sunt: I. *Rectum eundem esse*; ac Nominativum: cæteros casus *Obliquos* dici. II. Reciprocum adhiberi, cum in vernaculo venit: *mágának, magát, magoknak, magokat, etc.* III. Hæc transire, seu referri, recipere se ad eum *Rectum*, vel *Obliquum*; quo ad quæstionem: *Cujus?* respondetur, vgr. *Frater amisis librum suum.* *Cujus librum?* Fratris. Igitur *suus* transit, seu refertur ad Rectum *Frater.* IV. Hæc Reciproca sèpe fieri in una Constructione, ut: *Hic sibi soli canit.* Subinde in duabus cohærentibus, ut: *Monebo hominem; ut ne se prostituat.*

## REGULÀ I.

Quotiescumque illud: *Magának, magdt, etc.* refertur ad Rectum tertiae personæ, utendum est Reciproco, ut: *Cato sua se manu interfecit.* Idque etsi altera Constructio accedit, ut: *Petit a me Frater, ut secum essem.*

Exempla unius Constructionis: *Nemo se unquam odio habuit. Iste quidem sui oblitus videtur. Falso sibi*

blanditur. Ipse se Judici detulit. Omnia sibi licere putant. Dicit multa sibi, multa suis canibus opus esse. Ulysses Penelopae suae ignotus advenit. Quisque se, suaque curat maxime. Natos suos Saturnus devoravit. Ferae partus suos diligunt. Cicero ab inimicis suis proditus exulat. Obviam venit Patruus in fundo suo. Ceres ablata est a Verre e templis suis.

Duarum Constructionum: Rogai te Caesar, ut partes suas sequaris. Timent Cives, ne fundis suis exuantur. Dixit Ariovisto Caesar, se Gallis bellum intulisse. Omnes boni, quantum in se fuit, interfecere Caesarem. Laude digni sunt, qui officio suo rite funguntur. Gaudet Herus, cum agros suos tam feraces videt. Cato permoveri non potuit, quin sibi manus inferret. Metet Senex, quae in Juventute sua conserverit. Ni destiterit homo sceleratus, sua eum poena consequetur.

## REGULA II.

Si illa: Magának, magát, etc. ad Oblivium referantur, Rectus autem sit primæ, vel secundæ Personæ, cum nulla inde oriatur Amphibologia, itidem Reciproco utendum erit, seu in una Constructione, ut: Vidi hominem caedentem se flagris. Seu in duabus, ut: Sva-debo Patruo, ut filios suos melius educet.

Exempla unius Constructionis: Habetis Ducem oblitum sui, memorem vestri. Nihil malo, quam me similem esse mei, illos sui. Tu primus docuisti filium, parcere sibi. Oppugnasti Rempublicam armis suis. Relinquo lectoribus judicium suum. Caecidisti eum gladio suo. Cepi columbam cum pullis suis in nido suo. Sciscitatus sum ex Dejotaro, de Regno suo. Allocutus sum Fratrem ante domum suam. Dato cuique quod suum est.

Exempla in duabus Constructionibus, in quarum priore Rectus Primæ, vel secundæ personæ est: Hortatus sum omnes, ne partibus suis desint. Cavebo testamento, ne haereditatem suam pessimum dare possit filius. Deum roga, ne suam a te gratiam abstrahat. Efficies petulantia tua, ut patientiam suam rumpat Pater. Mi-

sereor mortalium, qui salutem suam in postremis habent. Promisi Patri, me res suas curaturum diligenter. Rectus primæ, vel secundæ personæ in posteriore Constructione: Orat hera, ut se ames, ad se venias. Mihi gratias agunt, quod se Reges appellaverim. Si me petierit, suis eum de criminibus accusabo. Si ad te venerit, suo eum nomine compellato. Mihi assignant, quod se servaverim.

## REGULA III.

Si illa: *Magának, magát, etc.* referantur ad *Obliquum*, *Rectus* autem fuerit tertiaræ personæ, cum nonnihil ambiguïtatis inde exurgat, fere utendum est Pronomine Demonstrativo: *Ipsius, illius, ejus, ipsorum, etc.* Idque seu in una Constructione, ut: *Miles fit obviam Claudio in fundo ejus.* Sive in duabus, ut: *Constat Ciceroni, quam infensis ip̄si sit Antonius.*

Exempla: *Vulpes* devoravit leporem *cum* catus *e-*  
*jus.* *David Goliatho* caput abscidit gladio *ipsius.* *Ver-*  
*res Cererem* abstulit *e* templis *ejus.* *Nunciavit Alexander*  
*Parmenioni,* *ip̄si* ventura auxilia, id est: *Parmenioni.*  
*Accersit Pater* villicum, *cum* filiis *ejus,* *Villici.* *Condixit*  
*Titus Cajo,* *se* in *ipsius* praedium *venturum,* *Caji.*  
*Volut Pater erudiri* filium, *sed* *ejus* sumptibus, *fili.*  
*Cavit amicus* *Paulo,* *res* *ipsius* *salvas* *fore,* *Pauli.*

## REGULA IV.

Quodsi in utravis Constructione fuerit *Re-*  
*ctus*, attendendum est, ad utrum illud: *Ma-*  
*gának, magát, etc.* referatur. Si ad *Rectum*  
*ejus* Constructionis referatur, in qua illud *Ma-*  
*gának, etc.* reperitur, utendum est Recipro-  
*co.* *Petrus Fratrem* *rogavit,* *ut* *snorum* *fili-*  
*orum* *curam* *gerat.* *hoc* *est:* *Fratris.* Si ad

*Rectum alterius Constructionis referatur, Pronomine Demonstrativo erit utendum, ut: Petrus Fratrem rogavit, ut filiorum ipsius curam gerat, hoc est Petri.*

Sic: Seripsit Verres Dolabellae, ut ex ipsius Provincia decedat, id est Verris. Docuit Dionysius Rex filias, ut ardentibus juglandium putaminibus ipsi barbam adurerent, id est Dionysis. Rogavit aeger Medicum, et suae ipsius valitudinis curam gereret, Medici. Rogavit Pythius Piscatores, ut ante hortos ipsius piscarentur, Pythii. Pater jussit filium, in ipsius cubiculum concedere, Patris. Queritur Petrus, quod Paulus a prum in ipsius sylva occiderit, Petri. Non ignorat Caesar, quam perniciem ipsi moliatur Senatus, Caesari. Metuebat Victor, ne Cato eum interficeret. Victorem.

### REGULA V.

*Si post Rectum, vel Obliquum sequatur Conjunctionis Et, Pronomine Demonstrativo utendum est, ut: Pater, et ejus proles capti.*

Sic: Columba, et ejus pulli in nido jacent. Odi Marium, et ejus factionem. Fur condemnatus est, et ejus socii. Pacem cum Antiocho, et ejus foederatis iniit. Herum perdidit, et ejus filium.

Reciproco tamen utendum 1mo: quando Reciprocum præcedit conjunctionem *Et*, et subsequens *Magának*, *magát*, etc. ad illud refertur, ut: Petrus se, et liberos suos occidit. 2do: Quando adest Verbum Activum, vel Passivum, et illud *Magának*, *magát*, etc. Conjunctionem *Et* sequens, ad *Rectum* referatur, ut: Petrus Paulum, et liberos suos occidit, id est: Petri. Petrus a Paulo, et servis suis occisus est, id est: Petri.

## Appendix.

▲ Classicis Auctoribus non raro loco Demonstrati Reciprocum, et vicissim adhiberi reperies. Sic Cicero: Vix tamen *sibi* de mea voluntate concessum est. Ubi diserte *sibi* pro *illi* sumptum notat Manutius. Idem Cicero: Non enim a te emit, sed priusquam tu suum *sibi* venderes: possedit. Loco *ipsi*. Lucanus: Quæ nox *sibi* proxima venit insomnis. Loco *ipsi*. Seneca: Multum dederis, si nihil *sibi* dederis, præter exemplum. Loco *ipsi*, etc. Quae tamen exempla Tironibus neutrum imitanda, nisi fortasse, quod sæpe fit, e contextu ipso Orationis ambiguitas omnis tollatur.

---

## DE CONSTRUCTIONE PRÆPOSITIONUM.

**V**erba absoluta, et intransitiva, Præpositionum beneficio in Casus transeunt, ut: *Cum apud eum Suplicius sederet, et Antonius in porticu ambularet, Catulus ad eum cum fratre venit.*

Transitiva præter proprium Casum; etiam Præpositiones cum suis Casibus admittunt, ut: *Propter virtutem, et probitatem, etiam quem nunquam vidimus, diligimus.*

Verba Composita, sæpe Casum Præpositionis habent, ut: *Adiit Persarum Magos. Urbem noctu invasit. Et repetita Præpositione, ut: Haeredes adeunt ad Verrem. In Galliam invasit Antonius.*

Hanc repetitionem amant multa Verba Composita ex Præpositionibus: *a, ab, de, ex, in, ut: Averte tuum a me animum. Abduco me ab omni negotio.*

Sic: *Aspiro ad honores. Applicare se ad litteras. Adscribor ad caeteros. Adjungo me ad te. Convivo cum aliquo. Colludo cum hoste. Consonat vita cum oratione.*

*Detrahere, detrudere, depellere hostem de statione. Egredior, ejicior, emigro ex Urbe. Evocor, evolo e carcere. Incurrere in aliquem. Injicere in aquam, Insidere in equo, etc.*

### Præpositiones cum Accusativo.

Accusativo serviant: *Ad, apud, ante, aduersus, vel aduersum, cis, citra, circiter, circa, contra, erga, extra, inter, intra, infra, juxta, ob, penes, per, pone, post, prope, propter, praeter, secundum, supra, secus, trans, ultra, versus, usque, ut: Secundum te nihil mihi amicus solitudine.*

*Versus suo Casui postponitur, ut: Arpinum versus.*

### Præpositiones cum Ablativo.

Ablativo gaudent: *A, ab, abs, absque, cum, coram, clam, de, e, ex, pro, prae, procul, palam, sine, ut: Clam iis eam vidi.*

Tenus, quemadmodum *Versus*, postponitur, et Genitivum desiderat, si nomen sit plurale, ut: *Lumborum tenus. Narium tenus.* Si singulare sit nomen, Ablativum petit, ut: *Umbilico tenus.*

### A, AB, ABS.

A, Consonantibus præponitur, ut: *Afronde, a tergo, a lateribus tenetur. Ab. Vocabilibus, ut: Cupio ab omnibus amari. Et non nullis Consonantibus, præcipue: L, R, S, N, J, ut: Ab Senatu, ab nullo, ab Legatis, ab Rege, ab Fove.*

### IN, SUB. SUPER.

*In, Sub, Super modo Accusativum, modo Ablativum pro varia significatione postulant.*

*In*, cum Verbis motus Accusativum amat: *Abi in exilium*. Item pro *erga*, *contra*, *ad*, *pro*, *per*, ut: *Brutus pius in Patriam*, *cru-delis in liberos*. *Crescit in dies periculum*. *In diem tibi librum commodo*.

Cum vero quies, aut aliquid in loco significatur, Ablativo gaudet, ut: *In Templo sum*, *in foro*, *in solitudine*. Item cum ponitur pro *inter*, ut: *Nisi in bonis*, *amicitia esse non potest*.

### SUB.

*Sub* Accusativum postulat, cum ponitur loco *circiter*, *per*, *paulo ante*; vel cum tempus significat, ut: *Sub Vesperum*, *sub noctem*, *sub pugnae finem*. Item pro *post*, ut: *Sub eas litteras tuae lectae sunt*.

Et cum Verbis motus, ut: *Nix sub aspe-ctum cadit*. *Abscondit se sub scalas*.

Cum Verbis quietis Ablativum petit, ut: *Sub umbra consedimus*. *Sub dio*.

### SUPER.

*Super*, Accusativo servit, cum Præpositi-oni *subter* contraria est: maxime, cum mo-tus significatur, ut: *Sedeo super terram*. *Tegula cecidit super caput*.

Item cum significat *Inter*; ut: *Super coe-nam occisus est*. vel *Praeter*, ut: *Super caetera scelera illud item facinus commisisti*. *Ultra*, ut: *Erant super mille Imperatores*.

Ablativo adjungitur, cum pro *de* ponitur, ut: *Hac super re alias scribam*.

Et interdum cum Verbo quietis, maxime a-pud Poetas, ut: *Viridi super fronde quievimus*.

### SUB.

## SUBTER.

*Subter*, ferme Accusandi Casum postulat, si-  
ve quietis, sive motus Verbis jungatur, ut:  
*Plato cupiditatem subter praecordia locavit.*

Præpositio versa in Adverbium.

Præpositio, cum suo casu privatur, in Ad-  
verbium migrat, ut: *Multis post annis.*

*Nota.* Hujus generis sunt: *Ante, contra, citra, cir-*  
*cum, circiter, extra, infra, intra, etc.*

Præpositiones aliis Præpositionibus præpositæ.

**P**ræpositiones non unquam aliis Præpositioni-  
bus præponuntur, ut: *Nuncii nobis tristes ve-*  
*nerunt ex ante diem Nonas Junias, usque ad*  
*pridie Calendas Septembres.*

*Usque* tamen fere alteram Præpositionem  
desiderat, ut: *Ab Æthiopia usque venis. O-*  
*mnes sententias Philosophorum usque a Tha-*  
*lete enumeravit.*

*Nisi* postponatur Nominibus Oppidorum,  
ut: *Romam usque. Carthaginem usque.*

## DE CONSTRUCTIONE ADVERBII.

*Nominativus post Adverbium.*

**E**n, ecce, Nominandi, seu Accusandi Casum  
postulant, ut: *En miserum hominem. Ecce no-*  
*va turba, et rixa.*

*Genitivus Post Adverbium.*

*Satis, abunde, affatim, parum, instar, ergo,*  
*pro*

pro causa, Genitivum postulant, ut: *Satis verborum, parum rerum. Unus instar omnium.*

Item Adverbia Superlativa a Nominibus orta, ut: *Maxime omnium floruit.*

Et Adverbia loci: ubi, ubinam, ubicunque, ubivis, quoquo, nusquam: Genitivos *terrarum, gentium, locorum,* eleganter admittunt. *Nesciebam, ubi terrarum esset. Nusquam gentium fratrem invenio. Ubique locorum spargitur.*

Dicitur et longe gentium, *Tu longe gentium abes.*

Huc spectant Adverbia: *Eo, huc. Eo consuetudinis deventum. Eo scelerum, huc malorum devenit.*

*Pridie, et Postridie et Genitivum, et Accusativum petunt, ut: Pridie ejus diei venit. Postridie ludos Apollinares. Pridie Nonas Calendas.*

*Nota. 10. Pridie, et Postridie natura sua Genitivum tantum petunt; ideo si cum Accusativo legantur, subintelligitur ante, vel post. Sic, dum dicimus: Pridie Calendas, idem est, ac priori die ante Calendas.*

*Sic: Tertio Nonas Januarias, Septimo Calendas Septembres: idem est, ac: Die tertio ante Nonas. Die septimo ante Calendas.*

*2do. Ad hæc admittunt verbum cum Particula quam ut: pridie, quam excessit e vita. Postridie intellexi, quam a vobis discessi.*

### *Dativus post Adverbium.*

Quædam dandi Casum postulant more eorum, unde deducuntur, ut: *Congruenter, convenienterque naturae vivere; nam congruens, conveniens Dative gaudent.* Ac-

*Accusativus post Adverbium.*

*Propius, proxime, perinde, ut Prope, Accusandi Casum exigunt, ut: Vide, ut proprius Urbem, quam proxime Italianam cum Copiis sis.*

*Abhinc, Verbis Præteriti temporis junctum Accusativum, seu Ablativum postulat, ut: duos ab hinc annos: vel duobus abhinc annis mortuus.*

*Ablativus post Adverbium.*

*Comparativa Ablativo gaudent, ut: Lacrima nihil citius arescit.*

*Adverbia Locis.*

Adverbia, quibus interrogatur, sunt hæc: *Ubi, unde, quo, qua, quorsum.*

Ad interrogationem *Ubi* redduntur: *Hic, isthic, illic, ibi, inibi, ibidem, alibi, alicubi, ubique, utro-bique, ubilibet, ubivis, ubicunque, passim, vulgo, intus, foris, nusquam, longe, peregre. Item supra, subter, infra, ante, post, extra.*

Ad *Unde* redduntur hæc: *Hinc, isthinc, illinc, inde; indidem, aliunde, undelibet, undevis, undecunque, undequaque, alicunde, eminus, minus, peregre, foris.*

Ad *Quo?* *Huc, isthuc, illuc, eo, eodem, illo, aliquo, alio, nentro, utroque, quoquo, quocunque, quovis, quoquolibet, intro, foras, peregre, longe, nusquam.*

Ad *Qua?* *Hac, isthac, illac, aliqua, qualibet, quacunque.*

Ad *Quorsum?* *Horsum, istorsum, illorsum, aliorsum, deorsum, sursum, dextrorsum, sinistrorsum, prorsum, rursum, introrsum, introrsus, retrorsum, quoquo-versum, vel versus.*

*Nota.* Hæc ad Nomenclatorē potius, quam Syntaxī pertinent, nec adeo memoriae mandanda videntur.

## De Adverbiorum Constructione cum certo Verbi MODO

### UT.

*Ut, pro Postquam Indicativum petit, Sic:  
Ut ab Urbe discessi, quotidie ad te scripsi.  
Item pro Quomodo cum quadam admiratio-  
ne: Ut est falsus animi! Ut Cneus nosfer jacet!*

Post has voces: *Adeo, ita, sic, tam, talis, tantus,* tot fere nunquam ponitur quod, sed ut cum Subjunctivo, ut: *Adeone tu hujus Urbis hospes, ut haec ignores?*

### Antequam, et Priusquam.

*Antequam, et Priusquam tum Indicativis, tum Conjunctivis junguntur, ut: Antequam dicere instituo, vel i tituam. Omnia expe-  
rior, priusquam pereo, vel peream.*

### Ne vetantis.

*Ne Subjunctivum petit, cum aliquid prohibemus, ut: Ne culpam in me conferas. Pe-  
tit et Imperativum maxime apud Poetas, ut:  
Abi, ne jura. Ne fugite hospitium.*

### Adverbia Positivis juncta.

*Per, perquam, sane, valde, oppido, im-  
primis, cumprimis, apprime, admodum, ve-  
hementer, et alia id genus fere Positivis gau-  
dent, ut: Vir perdoctus, perquam providus.  
Oppido pauci. Imprimis inter suos copiosus.  
Quam.*

*Quam, admirationi, vel interrogationi  
serviens, Positivo jungitur, ut: Quam multi  
delirant! Quam fallaces sunt hominum spes!  
Item, cum pro Quantum ponitur, ut: Quam  
morosi sunt, qui amant.*

Pro-

Pro *Quantum* sumptum Superlativis jungitur, ut: *Keni itineribus, quam potui maximis. Aves nidos struunt, quam possunt, mollissimos. Diligentia utor, quam possum, maxima.*

*Quam* ut eleganter Comparativa sequitur, ut: *Altius est, quam ut conspici possit. Male-dicentior est, quam ut ultra ferri possit.*

Pro *Valde* Superlativis eleganter additur, ut: *Caesari, quam primum, quam saepissime, quam maximas gratias agito.*

*Tam, et Quam* raro Comparativa, aut Superlativa copulant.

### Adverbia, in *um* et *o* finita.

Adverbia in *um* positivis gaudent, ut: *Parum, multum, nimilum, tantum, aliquantum,* ut: *Parum firma sunt, quae scribis.*

In *o* finita comparativis adhærent, ut: *Pau-lo, nimio, aliquanto, tanto, eo, quo, multo, hoc pro tanto,* ut: *Quanto superiores sumus, tanto submissius nos geramus.*

Multo etiam Superlativis additur, ut: *Omnis arrogantia odiosa, ingenii multo molestissima.*

Adverbia: *Multo, facile, longe* Superlativis adduntur, ut: *Vir omnium facile, longe, multo doctissimus.*

*Nota.* Hæc vel ad ornatam Syntaxim pertinentia, vel ita nota, ut in nulla lingua contra peccari possit, tanti non videntur, ut memoriæ mandentur.

## DE CONSTRUCTIONE INTERJECTIONIS.

**O**, tribus Casibus adjungitur: Nominandi, ut: *O Vir amicus!* Accusandi, ut: *O me perditum!* Vocandi, ut: *O Dave ades dum!*

*Heu, proh, modo Nominandi, vel potius vocandi Casum postulant, ut: Heu pietas! heu prisca fides! Proh dolor! tantum degeneravimus.* Modo Accusandi, ut: *Heu me miserum! proh Deum, hominumque fidem.*

*Hei, vae Dativo gaudent, ut: Hei misero mihi! vae tibi.*

---

## DE CONSTRUCTIONE CONJUNCTIONIS.

**C**onjunctiones copulativæ, et disjunctivæ, cum ad idem Verbum referuntur, similes Casus connectunt, ut: *Divitiarum, et formæ gloria fluxa est.*

*Nota.* Conjunctiones copulativæ, ut in Nominibus eosdem Casus, ita in Verbis eosdem Modos copulant, v. gr. *Si dolueris, mihique satisficeris.*

*Quam, nisi, an, praeterquam eosdem item Casus copulant, ut: A nemine legi malo, quam a te. Senatus id potuit, an populus? Nemo, nisi tu. etc.*

### Exceptio.

Aliquando huic Constructioni certa dictiōnum proprietas obstat, ut: *Fui Romae, et Athenis. Emisti librum centusse, an minoris?*

*Etsi, Tametsi etc.*

*Etsi, tametsi, quamquam in principio statim*

sententiæ Indicativum postulant, ut: *Et si vereor  
Judices etc.* Alibi etiam subjunctivum desiderant, ut: *Quamquam receptum sit, fieri nolim.*

*Etiam si, Quamvis, licet, nt, pro quamvis* subjunctivo gaudent, ut: *Brevia mala, etsi maxima sint, tolerabilia.* Ut summa haberem caetera, temporis satis non habeo.

### Ne causalis.

Ne causalis Conjunctivum amat, ut: *Hei metuo, ne quid mali adportet.*

*Vereor, timeo, metuo cum ut, aut ne junguntur, sed contraria significacione.* *Vereor, ut: hoc fiat,* idem est, ac si dicas: *Velleim, cuperem id fieri, sed ut metuo, non fiet.* *Vereor, ne hoc fiat.* Nolle id fieri; sed ut metuo, fiet. *Vereor, ut placari possit.*

Ne non, idem est, quod ut: *Timeo, ne non impetrem.*

Si tertiam addideris negationem, te omni metu liberum significabis, ut: *Non vereor, ne hoc officium Servilio non sim probaturus.*

Ut ne venuste pro ne ponitur, ut: *Opera datur, ut: ne judicia fiant.*

*Nota.* *Vereor, ne eveniat malum, quod nolo.* *Vereor, ut obveniat bonum, quod cupio.* Sic: *Timet amicus, ne aeger moriatur,* id est: ne eveniat malum, seu mors aegri, quam nollet. *Qui haereditati inhiat, metuit, ut aeger moriatur,* hoc est, ut obveniat bonum haereditatis, et mors aegri, quam cuperet. *Formidat, ne Magister resciat.* *Formidat, ut ignoscat.* In metu sumus, ne vincamur; in metu, ut vincamus. Metuo, ne verberibus cædar; metuo, ut, vel ne non praemium reportem.

### Ni, nisi, si.

*Ni, nisi, si* tum Indicativum, tum Conjunctivum amant, ut: *Mirum, ni domi est.* *Nisi restituerit, pendebit.* Quod

## Quod causalis.

*Quod* cum causam, ac rationem reddit, tam Indicativo, quam Conjunctione gaudet. *Bene factum, quod librum misisti. Miratus sum, quod tua manu scripseris.*

*Nota.* Notus est hic scopulus, a prima pueritia *quod* et *ut* confundentium. *Quod* idem significat, ac *quia*, et plurimum de re gesta, seu praeterita usurpatur, ut: *Gaudeo, quod veneris. Ut* idem significant, ac. *eo fine, ea causa, ideo: Scripsi, ut venires.*

*2do.* Quando *quod* causam non assert, Subjunctivum petit, ut: *Spargunt, quod hostes caesi sint.* Nisi Verbum futuri temporis sit; tum enim Indicativo utendum, ut: *Spero, quod ad me venties, vel venturus sis.*

*3tio.* Sparsim alioquin per Syntaxim dictum est, *ut* adhibendum post *tot, tantus, talis,* et particulas: *adeo, ideo, tam, sic, ita etc.*

*4to.* Post Verba: *pétendi, jubendi, timendi,* et quæ voluntatem, aut studium significant, ut: *Volo, curo, labore etc.*

*5to.* Et quæ eventum significant, ut: *Fit, evenit, etc.*

Verbum *Videor* Conjunctionem *Quod* respuit, nec dixeris: *Videtur, quod sim doctus,* sed: *Videor mihi esse doctus.* Item numero multitudinis: *Videmur vobis esse docti.*

Quia.

*Quia* pro *quod* utrumque Modum admittit: *Beatus mihi videor, quia cum Scipione vixerim. Quia postrema aedificata, Neapolis adpellatur.*

## DE CONSTRUCTIONE FIGURATA.

*O*ratio tres Virtutes habere debet, ut *Emendata, et Dilucida*, ut: *Ornata sit;* quibus virtutibus totidem vitia contraria sunt; nam emendatae *Barbara: diluei- dae Obscura: ornatae Inornata* adversantur,

**Barbaræ Orationis Vitia.**

Duo sunt vitia, quibus Oratio barbara, et rustica efficitur, Solæcismus, et Barbarismus; quæ, qui pure, et emendate loqui volet, omni contentione, velis, ut ita dicam, remisque fugiet.

**Quid sit Solæcismus, et quot modis fiat?**

Solæcismus, Constructionis, atque emendatae Orationis, de qua hactenus egimus, hostis infestissimus, est vitiosa, et contra Regulas partium Orationis compositione. Is fit quatuor modis: *Additione*, cum aliquid Orationi contra præcepta Grammaticæ additur, ut: *Scribo cum calamo*. *Ludo cum pila*. *Dtractione*, cum aliquid detrahitur, ut: *Eo forum*. *Redeo agro*. *Transmutatione*, cum partium Orationis ordo turbatur, ut: *Enim hoc voluit*. *Autem non habuit*. *Immutatione*, cum pars una pro altera ponitur, ut: *Grave fers res adversas*; pro *graviter*.

Fiunt Solæcismi etiam per cæteras Orationis partes. Item per ea, quæ ejusdem generis, et partis sunt: ut: *Eo intus*. *Sum intro*. *Quid huc agis*; *Quando hic venisti*. *Tu fecisti, aut ille?* pro an *ille*.

Denique per accidentia partium Orationis. Per *Cassus*, ut: *Quo is? Romae*. *Venio Brundusit*. Per *Personas* ut: *Sedeat, accedat, pro sedo, accede*. Per *Modos*, ut: *Rogo*; ut *mili opem fers*. Per *Tempus*; ut: *Redeam*; pro *redibo*.

**Quid sit figurata Constructio? quid Figura?**

Cum apud Viros doctos, et qui pure loquendi laude floruerunt, aliquid legerimus, quod Grammaticorum legibus repugnare videatur, non continuo existimabimus, eos Solæcismum fecisse, cum ipsorum auctoritate, testimoniisque soleant Grammatici ipsa præcepta confirmare. Nam sunt quædam, quæ faciem quidem Solæcismi habent, vitiosa tamen non sunt. Hoc novum loquendi genus, Figura Verborum, aut Orationis, seu ut Græci loquuntur, schema lexeos appellatur.

Est enim Figura, nova loquendi ratio a trito, et vulgari sermone remota, quæ fere ratione aliqua nititur.

*Admonitio.* Quæ hactenus de Figurata dicta sunt, uti exponenda sunt, ita, cur memoriæ mandentur a discipulis, ratio non videtur; præsertim cum et reliqua, quæ de Figuris afferentur infra, in multis Provinciis nequaquam edisci soleant.

### ENALLAGE, seu Immutatio.

*Immutatio*, vel *Enallage* Figura est, cum pars unius Orationis pro alia ponitur, ut: *Quam turpis est assentatio, cum vivere ipsum turpe sit.* Pro vita ipsa. Verbum pro Nomine. *Philothimus, nullus, venit:* pro non Nomen pro Adverbio.

*Sic:* Scire tuum nihil est, pro *scientia*. Recens advenit, pro *recenter*. Fuit in Senatu frequens, pro *frequenter*. Facto opus est, pro *facere*. Irasci dedecet, pro *ira*.

Fit etiam Enallage per attributa partium Orationis, ut: per *Modos*, ut: *Respiravero, si te video, pro respirabo*.

*Sic:* Age, quod velis, pro *vis*. Dicam, cuius jussu venio, pro *veniam*. Humanissime egisti, qui me certiorem feceris, pro *fecisti*. Dixit, se mihi cras argentum dare, pro *daturum*.

Per *Tempora*; ut: *Unum ostende, et vicisti, proximes*. Sic, memini me eam videre, Pro *vidisse*. Cura-bis valetudinem tuam, pro *curato*. Perii, si me destituit, pro *peribo*.

*Nota.* Immutatur etiam Genus Verborum Deponentium, quorum permulta etiam exitum Activi habent, ut: *Adulo, adulor*: *assentio, assentior, Depasco, or. Aucupo, or. Fabrico, or. Palpo, or. Frustro, or. Lacrimo, or. Impertio, or. Ludifico, or. Revertio, or. Velifico, or. etc.*

Per *Casus*, ut: *Projice tela manu sanguis nivis, promi. Est illi cognomen Capitoni, pro Capito. Urbs Buthroti, pro Buthrotum.*

Huc pertinenter quam multa Nomina, ac Verba varios Casus tam proprios, quam communes regentia, ut sparsim in Syntaxi dictum.

Per *Numeros*, ut: *Pars in frusta secant.*

*Nota.* Quam ampli usus, tum ad variandam Orationem, tum in versificando sit hæc Figura, ex iis, quæ de

verborum copia, in ornata Syntaxi, atque in arte metrika traduntur, intelliges. Nec tamen putas pro arbitrio Casus, Tempora etc. sine Solæcismo immutari posse, sed quod Alvarus monet, tum demum, cum hæc mutatio ratione aliqua nititur, nempe vel Regula, vel Figura alia.

### **ECLIPSIS, seu Omissio.**

*Eclipsis*, seu *Omissio* Figura est, cum id, quod in Oratione deest, foris petendum est, seu tacite subintelligitur, ut: *Si tiro ad me, Cogito in Tusculanum*, id est: *ad me venerit, cogito proficisci in Tusculanum*. *Ridere Convivæ, calumniari ipse Apronius*, id est: *coepit*.

*Nota.* Hæc Figura latissime patet, et fere per omnes, Oratiouis partes manet. Sic Nomen desideratur in sequentibus, ut: ad Veneris: Martis ventum est, intellige: *Templum, Fanum*. Ajunt, dicunt, *homines*. Pluit, tonat etc. *Caelum*. Tum alter, *inquit*. Abesse tridui, iter. Diu nullas accepi: *litteras*. Accusare aliquem furti: *crimine, de crimine*. Parvi æstimo: *aeris pretio*. Interest illius: *causa*. Decies sestertium: *centena millia*. Civica donatus: *Corona*. Uxorem duxi, *domum*. Id magni laboris, ac ingenii fuit: *opus*. Obiit, *mortem*. A pedibus, a scriptura servus vel *Minister*. Solvit a littore: *naves*.

Desideratur *Verbum*, ut: Quid mihi autor es, ut *faciam*. Stupere gaudio Græcus: *coepit*. Studies, an piscaris, an simul omnia: *facis?* Sed plura, cum rediero: *scribam*. Tua epistola librarii manu: *scripta*. Medius fidius, me *Castor, me Hercle: adjuvet*.

Præpositio desideratur, ut: Homo id ætatis, *circa*. Rediit Egypto, *ab*. Te Consule, *sub*. Vixit annos decem, *per*. Doctior cæteris, *præ*. Ingredi Italianam, *in*. Cave, cadas, *ne*. Fac, ames, *ut*. Frangas citius, quam fleetas; *siet citius, ut frangas*.

Verum de hac Figura multa hactenus in Notis nostris observavimus.

### **ZEUGMA, seu Connexio.**

*Zeugma* Figura est, cum id, quod in Oratione desideratur, e proximo assumitur, manente eodem Generi, Nuncro. Casu, cæterisque attributis, ut: *Nulla possessio* *nul-*

*nulla vis auri pluris, quam Virtus aestimanda est. Virtus, honestas, et pudor cum Consulibus esse cogebat.*

*Nota.* Alioquin dicendum fuisset: *Nulla possessio pluris aestimanda est. Nulla vis auri pluris aestimanda est. Virtus cogebat, pudor cogebat etc,* Verbum cogebat singulis Substantiis redditur, servato eodem Numero, Persona, Modo, Tempore. Eiusmodi exempla undique se offerunt, nec adeo multi momenti Figura est, et ab aliquibus pro Ecclipses specie habetur.

### SILLEPSIS, seu Conceptio.

*Sillepsis* est, cum id, quod in Oratione deest, e proximo assumitur; mutato tamen Genere, aut Numero, aut Casu, aut aliquo e ceteris attributis, ut: *Risus populi, atque admiratio omnium facia est.*

*Nota Risus populi factus est, admiratio facta est.* Ubi Genus mutatum vides. Sic: Nulla expeditio, nullum prælium sine me factum. Plenius his forum: et (plena) Basilicas videmus. Utinam hic surdus (factus sit), haec muta facta sit. Per Casus, ut: Si augeam (iracundiam) an adjutor sim ejus iracundiæ. Id agit populo, ut placerent (Fabulae), quas fecit Fabulas. Quem exules coepérunt montem; herbidus (mons) est. Per Numeros, ut: Frons, oculi, vultus sæpe mentiuntur, frons mentitur, vultus mentitur. Per Personas ut: Pater, ego, Fratresque mei arma tulimus, Pater tulit, ego tuli etc. Per Tempora, ut. Elegantius loquaris, ac superioribus annis, loquebare.

### PROLEPSIS, seu Anteceptio.

*Prolepsis; seu Anteceptio est, cum Dictio aliquam totum significans præcessit, quæ rursus in partibus intelligitur, neque explicatur, ut: Duo Reges Romam auxerunt: Romulus bello; Numa pace. Id est: Romulus bello auxit, Numa pace auxit. Exercitus hostium duo; unus ab Urbe, alter u Gallia obstant.*

*Nota.* Haec tres Figuræ; Zeugma scilicet, Syllepsis, et Prolepsis, non admodum inter se diversæ sunt, ac ab Ecclipsi in eo differunt, quod haec id, quod in oratione desideratur: extrinsecus, istæ vero ex antecedenti;

vel propinquō assumant, seu compleant. Ita hac distinctione multum vexare pueros, nullius utilitatis labor est.

### **ARCHAISMUS, vetusta phrasis.**

Archaismus est Constructio, qua prisca vetustas potissimum usa; nunc autem exoleta est, ut: *Nescio, quid absente nobis ( me turbatum est.*

*Nota.* Jura te neminem (*nemini*) nociturum. Hanc rem sibi sperant præsidio futurum, *futuram*. Fastidit mei, *me*. Ego expedibo, *expediam*. Meos parentes careo, *perentibus*. Cujusmodi apud Ennium, *Lucretium* Comicos passim offendes.

### **HELLENISMUS, seu Græcismus.**

Hellenismus est Constructio, quæ Græci sermonis leges non latini observat, ut: *Age aliquid eorum, quo- rum consuevisti.*

*Nota.* Sic quia verba certandi, ut: *Pugno, bello, contendō, certo, etc.* apud Græcos Dativum habent, idem sibi licere putant Poetæ, ut: *solus tibi ( tecum ) certet Amyntas. Rigor aquæ nivibus certans, etc.* 2. Sic Ablativum partis Accusativo mutant: *Tremit ossa pavore. Verbena tempera cinctus.* 3. Quia Ablativo carent Græci, Genitivo, aut alio utuntur, ut: *Abstine irarum. Define lacrymarum. Regnare populorum. Ejus temporis venit in mentem, etc.*

### **DE BARBARISMO.**

Barbarismus est dictio aut omnino barbara, aut latina quidem, sed scripto, vel pronunciatione vitiosa.

Barbara omuio, et peregrina, ut: *Perla, pro unione. Aviso pro admoneo, etc.*

Latina dictio vitiosa fit pluribus modis: Per Genera, ut: *Gladia pro Gladii. Per numeros, ut: Scopæ pro Scopae. Per declinationem, ut: Fames, Famei, pro Famis. Vasibus. pro vasis. Per Conjugationem, ut: Slavi, pro Steti. Legebo, pro Legam. Veneravi, pro Veneratus, sum.*

Divisione, cum dividimus conjuncta, ut: *Syluae, pro sylvae duarum: Dissoluo pro dissolvo, trium Syllabarum.* Cum-

Complexione , cum divisa conjunguntur, ut : *Phae-ton*, pro *Phaeton*.

Adjectione litteræ, ut : *Relliquiae*, gemino L pro simplici. *Alituum*, pro *Alitum*.

Syllabæ, ut : *Dicier*, pro *dici*. *Mavors* pro *Mars*.

Aspirationibus, ut : *Hinsidiae* cum scribendum sit sine aspiratione. *Insidiae*.

Temporis , cum Syllabæ brevi, quæ unum habet tempus , additur alterum, ut : *Italia*, prima longa pro brevi.

Detractione litteræ, ut : *Peculi*, pro *Pœulii*.

Syllabæ, ut : *Tennere*, pro *contemnere*.

Aspirationis, ut : *Odie*, pro *hodie*.

Temporis , enī syllabæ longæ quæ duo habet tempora , unum detrahitur, ut fiat brevis , ut : *Unius affligit*, media brevi pro longa.

Immutatione , cum littera una, aut syllaba pro alia ponitur , ut : *Olli pro illi*.

Transmutatione , cum littera, aut syllaba e suo loco in alienum transfertur , ut : *Interpetror*, pro *Interpretor*.

Fiunt denique Barbarisini tenore , cum accentu pro alio , utimur, ut si Præpositiones a suis casibus separamus , easque tenore acuto , vel inflexo pronunciemus , ut : *ad eum*, *ab illo*, *a quibus*, *circum littora*, cum gravi accentu , dissimulata distinctione , simul eam suis casibus pronuntiandæ sunt , tanquam si una esset vox.

### *Admonitio.*

Puer cum leget apud Virgilium :

*Nec spes libertatis erat, nec cura peculi.*

Aut : *Troas relliquias Danaum, atque immritis Achillei*.

Aut : *Alituum, pecudumque genus sopor altus habebat*.

Aut : *Italianam fato profugus, Lavinaque venit littora*.

Cum hæc inquam , et similia leget , ne putet Principem Poetarum Barbarismum fecisse , multa enim Poëtis permittuntur , quæ cæteris Scriptoribus denegantur . Neque miretur , si apud M. Tullium , Oratorum Principem . *Liberūm, Sestertiūm, cognōram, nōrunt*, aliasque id genus verborum immutationes offenderit ; neque enim Barbarismi sunt detractione , siquidem a consuetudine , certissima loquendi regula , impetratum est , ut etiam Oratoribus sic loqui liceret .

Vcr-

## Obscuræ Orationis vitia.

Verba inusitatæ, et a consuetudine quotidiani sermonis remota, obscuritatem; et tenebras Orationi afferrunt, ut: si quis *oppido*, pro *valde* dicat *Averuncare*, pro *avertere*. Eandem obscurat vitium, quod a Gracis *Alikyron*, a Latinis *improperium* dicitur, ut, *Sperare*, pro *timere*. *Virg*

*Hunc ego si potui tantum sperare dolorem.*

Item ambiguitas quæ *Amphibologia* Græce appellatur, idque vel in uno verbo, ut: *Taurus animalne sit, an mons, an signum in Coelo, an nomem hominis, an radix arboris?* nisi distinctum, non intelligitur. Vel in sermone, ut: *Audivi Chremetem percussisse Demeam*. Obscuratur præterea Oratio, cum sermoni deest aliquid, quo minus plenus sit per *Meosin*, hoc est: Diminutionem, vel contra, cum inani verborum turba, atque copiosa loquacitate obruitur Oratio, quam *Perissologam* vocant.

Impeditur denique sermo, quo minus dilucidus sit, si longa *Parenthesis* interjiciatur, aut si verba confusa, permistaque longius trajiciantur. *Hor. Namq. pila lippis inimicum, et ludere crudis.* Rectus enim ordo est. *Namque pila ludere inimicum est lipnis, et crudis.* Quod vitium *Synchysis*, vel *Hyperbaton* obscurum, hoc est, confusa, et perturbata verborum transgressio vocatur. Si hæc vitabimus, dilucida erit Oratio.

## Appendix.

Cum Orationis structura decoris gratia variatur, neglecto simplici sermonis ordine, non vitium est, sed virtus, quæ *Hyperbaton* appellatur, id est: transgressio verborum. *Cic. pro Client. Animaduerti, Judices, omnem Accusatoris Orationem in duas divisam esse partes.* In duas partes divisam esse, simplex erat ordo, sed durus, et incomptus.

## Hyperbati aliquot Species.

*Hyperbati*, seu Transgressionis aliquot sunt species. *Anastrophe*, est duorum verborum ordo præposterus, ut: *mecum, tecum, secum, nobiscum, quibus de rebus.*

*Anastrophe illa: Urbem, quam statuo, vestra est: Eunuchum, quem dedisti nobis, quas turbas dedit, pro quam Urbem statuo: quem Eunuchum dedisti nobis; admodum dura est.*

*Thmesis* est, cum Verbum compositum dividitur aliqua dictione interposita, Cic. ad Att. *Per mihi gratum erit, si id curabis ad me perferendum.* Idem. *De Senect.* *Omnia memoria tenebat, non domestica solum, sed etiam externa bella.*

Eiusdem generis sunt illa: *Rem vero publicam penitus amisimus.* *Praeclarum est pro Patria, Reque publica mortem oppetere.*

*Parenthesis* est brevis sensus sermoni, antequam absolvatur, interjectus. Cic. in M. Anton. *O praeclarum custodem ovium (ut ajunt) Lupum!* Liv. *Tantum (Proh dolor!) degeneravimus a parentibus nostris.*

### Inornatæ Orationis vitia.

*Cacophaton* est obscenum dictum, sive id uno verbo, sive pluribus, sive deformati litterarum concursu fiat.

*Tapinosis* est, qua rei magnitudo, vel dignitas minuitur, ut: *Si quis parricidam, hominem nequam vocet.*

*Tautologia* est eiusdem verbi, et sermonis iteratio. Verbi; ut: *Nam cuius rationis ratio non exstat, ei rationi ratio non est fidem habere.* Sermonis, ut: *Iabant, qua poterant, qua non poterant, non ibant.*

*Vitanda* est nimia eiusdem litteræ assiduitas, ut: *Quidquam, quisquam, cuiquam, quod convenit, negat.*

*Macrologia*, est longior, quam oporteat, sermo, ut: *Livius. Legati, non impetrata pace, retro domum, unde venerant, abierunt.*

*Pleonasmus* est vitium, cum supervacuis verbis oneratur Oratio, ut: *Ego meis oculis vidi.* Satis enim ast, *vidi.*

*Cavendum* etiam diligenter est, ne Consonantes aspere concurrant, ut *S*, ultima, cum *X* proxima, ut: *Exercitus Xerxis.*

Durius etiam fit concensus, si utraque se ipsam sequatur, ut: *Ars studiorum. Rex Xerxes.*

Vitandi et crebri Vocalium concursus, qui hiulcam, et hiantem orationem reddunt, ut: *Baccae Æneae amoenissime impendebant. Viro optimo obtemperasti olim.*

Illud quoque vitium est, si multæ voces ejusdem exitus in unum locum congerantur, ut: *Flentes, plorantes, lacrymantes, obtestantes.*

Et si verbi prioris ultimæ syllabæ sunt primæ sequentis, ut: *O fortunatam natam me Consule Romam!*

### *Appendix.*

Si quando puer apud graves Oratores aliquid invenerit, quod supervacaneum, atque otiosum esse videatur, ne id sine causa factum esse putet; adduntur enim interdum quædam affirmationis gratia. *Terent. Adelph. Hisce oculis egomet vidi. Virg. Vocemque his auribus hausi.*

Adduntur alia, quæ aut consuetudine, aut auctoritate, aut vetustate, aut necessitate denique excusantur. *Cic ad Attic. Ubi terrarum esses, ne suspicabar quidem. Idem Ad Eund. Longe gentium abes. Ad eundem. A Brundusio nulla adhuc fama venerat. Idem de Senect. Adolescentulus miles profectus sum ad Capuam. Idem in Verr. Caeteri Haeredes adeunt ad Verrem. Idem ad Quint. Fratrem. Diem scito esse nullum, quo die non dicam pro reo. Idem in Ver. Impetrant, ut ne jurent. Idem pro Marcello. Frater tuus quanti me faciat, semperque fecerit, esse hominem, qui ignoret, arbitror neminem.*

# EMMANUELIS ALVARI

E SOCIETATE JESU  
DE INSTITUTIONE  
GRAMMATICA  
LIBER III.

DE SYLLABARUM DIMENSIONE.

*Pro Suprema Classe Grammaticae.*

## DE LITTERIS, ET SYLLABIS.

Versus ex pedibus constat: Pedes ex Syllabis: At Syllabæ, de quibus nunc agendum est, fiunt ex litteris, vel una, vel pluribus, ut: I E Runt. Litteræ partim sunt Vocales, partim Consonantes

Vocales sunt sex: A, E, I, O, U, Y.

Ex Vocalibus fiunt sex Diphthongi: Æ, AU, EI, EU, OE, YI, ut: *Praemium, Aurum, Hei, Europa, Poena, Harpyia.*

Consonantes in Mutas, et Semivocales dividuntur.

Mutæ sunt octo: B, C, D, G, K, P, Q, T.

Semivocales itidem octo: H, L, M, N, R, S, X, Z.

Ex his quatuor sunt Liquidae: L, M, N, R.

Sed M, et N raro liquefcunt, idque in Græcis tantum dictionibus, ut: *Tecmessa, Cygnus.*

Duæ: X, Z, sunt duplices, hoc est: valent duas Consonantes, X, Cs, vel Gs. Z, Ss. Veteres Z, per duplex SS reddebat, ut: *Massa, Patrisso*, pro *Maza, Patrizo*.

F, præposita liquidis: L: et R, vim habet mutæ, et Syllabam facit communem. Georg. 4. Stridet refluxibus undis. Æn. Mollia colla reflectunt. Hor. I. Serm, Sat. 4. Portaque refregit: ideoque hanc plerique Mutis adscribunt.

S, quamvis immunis, ac sui juris sit (neque enim inter liquidas, aut duplices numeratur) interdum tamen liquefit, ut suo loco dicemus.

H, sitne littera, an aspiratitionis nota, dubium, controversumque; in carmine vix eius habetur ratio.

I, inter duas vocales posita consonans est, atque duplex I, valet: *Major*, *Ajo*, *Maja*, *Pejor*. Veteres I geminabant, Maior, Aijo, Maja; Vide Quint. lib. I, cap. 3. Priscianum etiam lib. I. cap. 4.

Multi sibi persuadent, Veteres, I, Consonantem molliter pronunciasse, sono potius ad Vocalēm, quam ad G, accedente, ut: *Pompejus*, non *Pompegus*. *Majestas*, non *Magestas*; quod sine dubio verum est.

I, et V, cum Vocalibus præponuntur, easque comprimunt, fiunt Consonantes, ut: *Janua*, *jecur*, *conjicio*, *jocus*, *Judex*: *Vates*, *velox*, *vita*, *vox*, *vultus*.

*Zota* Græcorum nunquam est Consonans, quare in *Zason*, *jambus*, *jaspis*, et cæteris, quæ plane sunt Græca, prima littera Vocalis est.

*Zod*, apud Hebræos semper Consonans est, cum Vocalibus præponitur, ut: *Zesus*, *Zoannes*, *Zacobus*. Itaque qui hæc, atque alia eius

jusdem generis nomina per J, Consonantem efferunt, optime quidem pronunciant: qui vero Vocalem, Græcos imitantur. Claudianus Græcorum more dixit: *Ne laceres versus, Dux Iacobe meos.* Antiquis tamen Poetis major habent. ad est fides. Horat. lib. 1. Sat. 5. *Credat Iudeus Apella.*

U, post Q, litteram semper liqueficit, ut: *Quare, quaero, quia etc.* Ast, post G, et S, modo liqueficit, ut: *Lingua, langueo, anguis, extinguo, svadeo, svavis.* Modo integra est, suamque vim retinet, ut: *Exiguus, suus.*

Litteræ liquefunt, cum vim, roburque Vocalis, aut Consonantis amittunt.

Syllabæ partim Breves, partim Longæ,  
partim Communes.

**S**yllabæ, quas temporibus metimur, aut sunt Breves, aut Longæ, aut Communes.

2. Tempus est spatium, intervallumque, quo Syllaba pronunciatur. Syllaba Brevis ex uno tempore, atque spatio constat, ut: *At, sed.* Longa ex duobus, ut: *Ah, en.* Communis est, quæ in versu tum Brevis, tum Longa esse potest, quales sunt priores in *Atlas, Cyclops,* mediæ in *Tenebrae, Pharetra.*

3. Nulla Vocalis apud Latinos perpetuo Brevis, aut Longa est. Apud Græcos E, et O, (Epsilon, et Omicron) quæ E, et O breve valent, perpetuo sunt breves, ut: *Origenes, Timotheus, Herodotus, Macedones.* (*Eta, et Omega*), quæ E, et O longum valent, semper sunt longæ, ut: mediæ syllabæ in *Eremus, Idolum.*

## PRÆCEPTA GENERALIA.

De Syllabarum Brevitate, ac Longitudine.

## Praeceptum I.

De Vocali ante Vocalem.

*Vocalem breviant, alia subeunte, Latini.*  
*Produc, ni sequitur R, Fio, et Nomina Quintae.*  
*Quae geminos Casus, E longo assumit in ei.*  
*Nomina corripies: Fideique, Speique, Reique.*  
*IUS commune est Vati; producito aliis;*  
*Alterius brèvia, Pompei, et caetera produc.*  
*Eheu, produces semper: variabitur Ohe. r. h.*

---

*Id est: Vocalis ante Vocalem in Latinis Dictionibus brevis est, ut: Puer, fuit, ruit,*

*Æn 12. Disce puer virtutem ex me, verumque laborem.*

*Sic: Varius, alea, leo, fruor, orior, mulier, dies, melior, etc.*

*Excipe imo: Fio; quod I, habet longum, nisi sequatur R. ut: Fiebam. Juv. Sat. Fient ista palam, cupient et in Acta referri.*

*Si R. sequatur, breve est, ut: Fierem, fieri, confieri, Virg. Æ. 4. Cum fieri possit, paucis, adverte, docebo.*

*2do: Interrogandi, ac Dandi Casus Quintæ Declinationis E, inter duo ii positum, producent, ut: Diei, speciei. Hor. Lib. 1. Sat. 9. Ventum erat ad Vestae quarta jam parte diei. Corripe: Rei, Spei, Fidei.*

*3to: Genitivus ius, habet I longum in soluta Oratione: in Carmine tum breve, tum long-*

longum, ut: *Illiis, unius, ipsius etc.* Præter *Alterius*, quod ubique I habet breve: *Alius* vero in Genitivo longum.

*Eccl. 1. Namque erit ille mihi semper Deus, illius Aram.*

*Æn. 1. Unius ob noxam, et furias Ajaxis Oilei.*

*Sic: Utrius, neutrius, utriusque, totius, solius, nullius.*

*4to. Cai, Pompei, Vultei, et siqui sunt similes Vocandi Casus, penultimam habent longam.*

*Mar. Lib. 6. Quod peto, da Cai, non peto consilium.*

*Ov. 4. de Pont. Accipe Pompei, deductum carmen ab illo.*

*5to. Ohe, priorem habet communem.*

*Mar. Lib. 4. Ohe jam satis est, Ohe libelle. Phaleucius est.*

### Appendix.

#### De Græcis Vocibus.

*Graeca per Ausoniae fines sine lege vagantur. Qnacdam etenim brevibus ( veluti Symphonia) gaudent:*

*Et quaedam longis, cœn: Dia, Chorea, Thalia, Darius, Cytherea, Aer, Elegia, Platea, Atque alia. At Choram rapuit, plateamque*

*Poeta:*

*Solvit et in geminas, ( veluti Cythereia ) longam.*

*Reflexio 1ma: Aer, Chorea, Platea, Cytherea, Elegia, Darius, et hujus generis, quæ vocalis ante Vocalem longam habent, Græca sunt.*

Ovid. Met. 1. *Terra feras cepit, volucres agitabilis aer.*

Idem Lib. 8. *Saepe sub hac Dryades festas duxere choreas.*

Æn. 1. *Parce metu Cytherea, manent immota tuorum.*

*Talia sunt : Dius, Enyo, Nais, Lais, Briseis, Minois, Machaon, Lycaon, Pyerides, Amphion, Jo etc.*

2da. *Chorea, Platea, interdum a Poetis corripiuntur.*

Æn. 6. *Pars pedibus plaudunt, choreas, et carmina dicunt.*

Hor. Lib. 2. Epist. 2. *Purae sunt plateae, nihil ut medicantibus obstet.*

3ta. *Nonnunquam soluta Diphthongo ei in e longum mutatur, ut : Cythereia, Elegeia. Ov. Met. Exigit indicii memorem Cythereia poenam.*  
Idem. *Flebilis indignos Elegeia solve capillos.*

4ta. *Idea, Andreas, Sophia, Philosophia Symphonia, Etymologia, Orthographia, et alia quamplurimia Vocalem ante Vocalem corripiunt, licet eadem Nomina, acuta penultima multi Viri docti more Græcorum in soluta Oratione pronuncient.*

Hor. in Art. *Ut gratas inter mensas Symphonia discors.*

*Docti cum vulgo longa item pronunciant quaedam artium Nomina ; ut : Typographia, Geometria, Astronomia, Musurgia, Politia, Magia, etc. Morborum, ut : Bullimia, Apoplexia, Disuria, Cardialgia, Lypothymia, et alia, ut : Philautia, Euphonia, Monotonie, Castrimargia, etc. sic: Xenodochium, Nosocomium Orphanatrophium, etc. Illud in Latinis vix ferendum : Pistoria, Sartoria, Sacristia, Cancellaria, etc. Minus: Lucia, sed mori obtemperandum est. Caeterum graece discat, d'portet, qui Graecorum Nominum quantitates scire voluerit.*

## Præceptum II.

## De Diphthongis.

*Diphthongus longa est in Graecis atque Latinis.  
Prae rāpe p̄aepositam vocali, dicque praeustus.*

*Id est: Diphthongus longa est tum in  
Graecis, tum in Latinis Dictionibus, ut: Æneas,  
Meliboeus, Præmium, Laus.*

*Æn. I. Miratur molem Æneas, magna-  
lia quondam.*

*I. Ec. I. O Meliboe! Deus nobis haec  
otia felicit:*

*Excipe: Præpositio Prae composita, cum  
vocalem præcedit, brevis est, ut: Præustus,  
Præeo.*

*Æn. 7. Stipitibus duris agitur, sudibus-  
que praeustis.*

*Sic: Præambulo, præeo, præesse, præopto, præ-  
emo, præhabeo, præaspér, etc.*

## Præceptum III.

## De Positione.

*Vocalis longa est, si Consonta bina sequatur,  
Aut duplex: aut I, Vocalibus interjectum.*

*Id est: Vocalis ante duas Consonantes, vel  
ante unam duplēm, vel ante I, sequente  
alia Vocali ejusdem Dictionis, longa est posi-  
tione, ut: Terra, Arma, Araxes, Gaza,  
Majora, Troja.*

*Æn. Terra procul vastis colitur Mavor-  
tia campis.*

*Luc. Lib. I. Sub juga jam Seres, jam  
barbarus isset Araxes.*

Virg. Eccl. 5. *Sicelides Musae, paulo ma-*  
*jora canamus.*

Æn. 2. *Hosfis habet muros; ruit alto*  
*a culmine Troja.*

*Appendix.*

*Consona principium Verbi sortita sequentis,*  
*Seu duplex, seu bina, nihil praeeuntibus augent*  
*Temporis, ut fiant longae, ceu: Clara Za-*  
*cynthos.*

*Id est: Si altera Consonans fuerit in fine præ-*  
*cedentis Dictionis, altera in principio sequentis,*  
*Vocalis nihilominus longa erit, ut: At Pius, A*  
*longum est positione duarum Consonantium,*  
*T, et P, quamvis sint in diversis Dictionibus.*

Æn. 1. *At pius Eneas per noctem piuri-*  
*ma volvens.*

2. Si utraque Consonans, aut una duplex  
 fuerit in principio sequentis Dictionis, nihil fe-  
 re præcedentem Vocalem brevem juvabit.

Met. *In folio Phaebus claris lucente*  
*Smaragdis.*

Æn. 3. *Jam medio appareat fluctu nemo-*  
*rosa Zacynthos.*

Luc. I. 2. *Talem fama canit tumidum*  
*super aequora Xerxem.*

*Lucente, Nemorosa, Aequora, ultimas*  
 habent breves, quamvis duæ Consonantes, aut  
 una duplex sit in principio sequentium Dictionum.

*Exceptio I. de Liquescentibus.*

*Contrahit Orator, variant in carmine Vates,*  
*Si mutam, liquidamque simul brevis una prae-*  
*bit.* Ut-

*Utraque vocalem si consona juncta sequentem  
Non ferit, anteiens brevis est (velut obruo)  
nunquam.*

*Id est:* Vocalis brevis ante mutam, et liquidam ejusdem Dictionis, in carmine communis est, ut Cyclops: at in soluta oratione, cum penultima est, corripitur, ut: Volucris, tenebræ.

*AEn. 8. Ferrum exercebant vasto Cyclopes in antro.*

*AEn. 3. Lustra, domosque traho, vastosque ab rupe Cyclopes.*

*Met. 3. Et primo similis volucri, mox vera volucris.*

*Sic:* Cerebrum, febris, Aprilis, cuprum, vertebra, agres is, patius, peregrinus, alacris, aprius, aprugnus, ebrius, macrum, sobrius, Hebraeus, hybrida, probrum, rubrum, nigrum, pigrum, atrox, labrum, glabrum, fabrum, lucrum, etc.

*Contra Vocalis natura longa ante mutam et liquidam neutiquam communis est, ut, Matris, fratis, salubris, aratrum, involucrum, flabrum, egregius, acris, delubrum, ambulacrum, detrusus, etc.*

#### *Appendix.*

Vocalis E, ante F, et liquidas frequenter corripitur, *Reflecto, refluo, reflo, refagito, refringo.*

Virg. *Nec prius amissam respexi, animumque reflexi.*

Ovid. *In que caput crescit, longosque reflectitur unges.*

## Appendix II.

*Ab luo, ob ruo, sub levo, ad nitor, et cætera ex iisdem Præpositionibus | Composita nunquam primam corripiunt: necesse est enim, ut muta, et liquida ad sequentem Vocalem spectent, ut: Tenebrae, funebris, lugubris. In abluo autem, etc. muta ad præcedentem vocalem pertinet.*

M, et N, raro liquecunt, idque in Græcis Dictionibus duntaxat, ut: Tecmessa, Cycnus, Therapnae, Ichneumon.

Hor. lib. 2 Od. 4. *Forma captivæ Domi-  
num Tecmessæ. Saph. est.*

Id. lib. 4. Od. 3. *Donatura Cygni, si li-  
beat sonum. Asclep. est.*

Sil. lib. 8. *Ecce inter primos Therapnae-  
o a sanguine clausi.*

Mart. lib. 7. *Delectat Marium si pernici-  
osus Ichneumon.*

## Exceptio II.

*Quadrijugus rapitur, Bijugus conjungitur illi.  
In quibus I, duplex non est, sed consona simplex:  
Subjicit, et subicit dicunt in carmine Vates.*

---

*Id est: I, inter duas Vocales in Composi-  
tis: Bijugus, Quadrijugus, simplex Confo-  
nans est, non duplex; quare merito præcedens  
Vocalis corripitur.*

*Æn. 16. Interea bijugis infert se Leuca-  
gus albis.*

*Georg. 3. Centum quadrijugos agitabo  
ad flumina currus.*

Verbis a *Facio* compositis, ut: *Abjicio*, *adjicio*, *dejicio*, *rejicio*, *subjicio*, Poetæ interdum detrahunt alterum I, ut Syllabam corripiant.

Æn. 10. Sic ait: atque oculos Rutulorum rejicit arvis.

Stat. Th. 4. Tela manu, reicitque canes in vulnus hiantes.

Eccel. 10. Quantum Vere novo viridis se subjicit alnus.

Silt. I. 10. Hic acuit stimulis, subicitque haud mollia dicta.

Idem I. 3. Arjetat in primos: obicitque immania membra.

#### Præcepium IV.

##### De Præteritis Dissyllabis.

*Praeterita* assumunt primam dissyllaba longam *Sto*, *Do*, *Scindo*, *Fero*, rapiunt *Bibo*, *Findo* priores.

*Id est*: Præterita dissyllaba habent priorem longam, ut: *Veni*, *vidi*, *vici*.

Æn. 2. Quos ubi confertos audere in prælia vidi.

Ibid. Venit summa dies, et ineluctabile tempus.

*Sic*: Legi, novi, vovi, fovi, pavi, favi, suevi lusi, sprevi, sivi, quivi, livi, sedi, fodi, flevi, fregi fugi, scivi, cudi, crevi, egi, trusi, trivi, sevi etc. *cum Compositis*: perlegi, pérlegimus. Asyevi, confodi, attrivi, convenimus etc.

*Excipe*: Steti, dedi, scidi, tuli, bibi, fidi, a findo corripiunt primam.

Mart. I. 1. *Dixit*; et ardentes avido bibit ore favillas. I 2. Luc.

*Luc. 3. Aut scidit, et medias fecit sibi littore terras.*

*Aen. 9. Diffidit, et multa porrectum extendit arena.*

*Appendix.*

*Abscidit, abscidit, modulatur utrumque Poeta.*

*Id est: Compositum abscidi, habet penultimam communem.*

*Lucam. l. 3. Abscidit impulsu ventorum adjuta vetustas.*

*Id. 4. Abscidit nostrae multum sors invida laudi.*

*Præceptum V.*

*De Præteritis geminantibus primam Praeteritum geminet si primam, corripe utramq. Ut: pario peperi: vetet id nisi consona bina. Caedo, caecidit, habet longam, ceu pedo pepedi.*

*Id est: Cum prima syllaba præteriti geminatur, eadem, et secunda brevis est, nisi obstant duae consonantes, ut: Cecini, Tetigi, Peperi.*

*Geor. 4. Tityre, te patulae cecini sub tegmine fagi.*

*Sic: Tutudi, pepigi, pepuli, didici, pupugi, etc. cum compositis contusi, repuli, addidici, etc.*

*Exceptio.*

*Excipiuntur: Caecidi, a Caedo, Pepedi, a Pedo, in quibus secunda longa est, ut in iis etiam, in quibus duae consonantes sequuntur, ut: Cucurri, Tetendi.*

*Juv. Sat. 3. Ebrius, ac petulans qui nulum forte caecidit.*

*Hor.*

Hor. l. i. Sat. 3. *Nam displosa sonat . quantum vesica , pepedi.*

*Sic : Fefendi , peperci , totondi , sposondi , poposci .*

### Præceptum VI.

#### De Supinis Dissyllabis.

*Cuncta Supina volunt primam dissyllabam longam ; At Reor , et Cieo , Sero , et Ire , Sinoque Linoque . Do , Queo , et orta Ruo , breviabunt rite priores .*

*Id est : Supina duarum Syllabarum habent priorem longam , ut : Visum , motum .*

*Æn. 5. Terribiles visu formae , lethum- que , laborque .*

*Æn. 1. Quos ego ; sed motos praestat componere fluctus .*

*Sic : Notus , fatus , votus , lotus , potus , latus , trus- sus , rosus , risus , rasus , spretus , tritus , natus , etc. cum Compositis , et Derivatis : Ignetus , devotio , Iotio , potio , arrosus , insutus , contritus , natura , contusio , momen- tum , fomentum , jumentum , adjumentum , etc.*

*Excipe : A Reor , ratum ; a Sero satum ; ab Eo , itum ; a Sino , situm ; a Lino , litum , a Do datum ; a Ruo , rutum ; a Queo , quitum dux . Spina dissyllaba primam corripiunt .*

*Æn. 2. Nos ubiisse rati , et vento petiis- se Mycetes .*

*Ib. At non ille satum quo te mentiris , Achilles*

*Met. 1. Poscebatur humus ; sed itum est in viscera terrae .*

*Met. 2. Hic situs est Phaeton , currus au- riga Paterni .*

*Sic : horum composita . Ratio , satura , con- situs , litura , oblitus , desitus , redditus , introitus .*

## Appendix.

1. Citum a cieo, secundæ Conjugationis, priorem brevem habet; unde *Concitus*, *Excitus* penultima brevis.

Val. Fl. 3. *Vulnus*, et extrema sonuit cīta cuspide cassis.

Æn. 12. *Altior insurgens*, et cursu con-  
citus *Heros*.

Met. 2. *Nec fruitur somno, vigilantibus  
excita curis.*

2. Citum vero a Cio quarti ordinis, pri-  
rem producit; unde *Concitus*, *Excitus*, penul-  
tima longa.

Lucan. l. 5. *Unde ruunt toto, concita  
pericula mundo.*

Idem. l. 1. *Rupta quies populis, stratis-  
que excita Juventus.*

3. Ruo nunc facit Supinam Ruitum, pri-  
scis sæculis rutum fecit; unde Composita: di-  
rutum, erutum.

Æn. 11. *Nec mihi cum Teucris, ullum  
post eruta bellum.*

4. Statum, priorem producere in Derivatis  
staturus, et Compositis, docet Prisc. l. 10.

Lucan. l. 4. *Tunc res immenso placuit  
statura labore.*

Mart. l. 10. *Constatura fuit Megalensis  
purpura centum.*

Stat. l. 7. *Quae sic orsa loqui: Spesne  
obstatura Pelasgis.*

Plurima tamen Composita corripiuntur, ut:  
Status, us, status, a, um. Statio, statua, stabulum,  
statura, stabilis, stativa, etc. Statuo cum Com-  
positis, constituo, restituo, etc. Prae-

## Præceptum VII.

## De Supinis Polysyllabis.

*Utum producunt Polysyllaba cuncta Supina.  
De Vi praeterito semper producitur Itum.  
Agnitus agnosco, cognosco cognitus effert.  
Cetera corripies in itum quaecunque Supina.*

*Id est: Supina in Tum Polysyllaba, præcedente U, habent penultimam longam, ut: Solutum, Argutum, Indutum.*

*AEn. 9. Lumina rara micant, somno,  
vinoque soluti.*

*Sic: Volutum, consuum, consputum, dilutum, argutum, statutum, tributum, acutum, etc. cum Compositis: tributarius, argumentum, constitutio, etc.*

*Item in itum a Præteritis in Vi, per V, Consonantem, ut: Cupivi, cupitum. Petivi, petitum. Condivi, conditum, a condio.*

*Ovid. Trist. 3. Exul eram, requiesque mihi, non fama petita est.*

*Sic: Quaesitus, oblitus, mollitus, auditus, politus, nutritus, munitus, sancitus, etc.*

*Excipe 1. Agnovi, et Cognovi, quæ in Agnatum, et Cognitum, penultimam brevem habent.*

*Ov. Trist. 3. Idque recens praestans, nec longo cognitus usu.*

*2. Supina in Itum, habent penultimam brevem, ut: Monui, monitum, Tacui, tacitum, Credidi, creditum.*

*AEn. 6. Discite justitiam moniti, et non temnere Divos.*

*Ibid, Quis te, Magne Cato, tacitum, aut te, Cosse; relinquat?*

*Sic:*

Sie: Alitus, monitus, pinsitus, domitus, fruitus, genitus, nocitus, abolitus, paritus, solitus, veritus, etc.  
Huc pertinet *Pugitum*.

## Præceptum VIII.

## De Derivatis.

*Derivata Potris naturam Verba sequuntur.*  
*Mobilis, et Fomes, Laterna, ac Regula. Sedes,*  
*Quamquam orta a brevibus, gaudēt produ-*  
*cere primam.*

*Corripiuntur Arista, Vadum, Sopor, atque*  
*Lucerna:*

*Nata licet longis. Usus te plura docebit.*

---

*Id est: Derivata sequuntur naturam eorum,*  
*a quibus derivantur, ut: Legebam, legam, lege,*  
*legito, prima brevis, quia oriuntur a præsenti,*  
*lego, legis, cuius prior brevis est.*

2. At: *Legeram, legerim, legissem, legero,*  
*legisse, prima longa; quia a præterito legi na-*  
*scuntur, cuius prior longa est, cum sit præteri-*  
*tum dissyllabum.*

3. *Aratum, Simulacrum, Ambulacrum, Lavacrum,*  
*Volutabrum, Involucrum, etc. penultima, longa, quia*  
*a supinis Aratum, Simulatum, Lavatum, Ambulatum,*  
*Volutum, Involutum dèducuntur, quorum penultima si-*  
*militer longa est.*

4. *Coutra Reditus, exitus, introitus, aditus, itus, obi-*  
*tus, penultima correpta: quia fiunt a supino Itum; quod*  
*priorem corripit, ut supra diximus.*

## Exceptio.

Multa, quæ suæ originis naturam non se-  
quuntur, usu, assiduaque Poetarum lectione  
sunt addiscenda, cuiusmodi sunt: *Fomes, mo-*  
*bilis, laterna, regula, prima longa, quam eo-*  
*rum*

rum simplicia: *Foveo, moveo, lateo, rego corripiunt.*

Contra: *Lucerna, arista, sopor, vadum*  
primam corripiunt, quam simplicia *Luceo, areo,*  
*sopio, vado* producunt.

Sic: *Longa a brevibus*: Humanus ab homo: Vox,  
vocis, a voce. Rex, Regis, a regula, et rego: Sedes  
a sedeo: Macero, a macer, humor ab humus: jucundus  
a jocus: etc.

*Brevia a longis*: Acerbus ab acer: Dux, ducis a  
duco: dicax, a dico: sagax, a sagio: odium, ab odi:  
nota, a notum: molestus, a moles; disertus, a dissero: etc.

### Præceptum IX.

#### De Compositis,

*Legem Simplicium retinent Composta suorum;*  
*Vocalem licet, aut diphongum syllaba mutet.*  
*Dejero, sed juro dat, Pejeroque, innuba, nubo,*  
*Pronubaque, atque Hilum, nihilum: dat Semi-*

*sopitus* (creantur.)

*Sopio, fatidicus, fratresque, quae a Dico*  
*Participiale Ambitum, ab. Itum inter longa*  
*reponere*

*Id est: 1mo.* Composita brevitatem, vel  
longitudinem Simplicium sequuntur.

*2do.* In *Perlego, Relego, gis, tertiae Conjugationis, E, ante G,* brevis est, quia in simplici *Lego*, etiam corripitur. Sed in *Relego, gas.*  
*Allego, gas,* primæ Conjugationis, eadem producitur, ut in simplici *Lego, gas;* in præterito vero *perlegi* producitur, quia in simplici præterito *Legi*, itidem longa est.

*3. Attigi, concidi, diffidi, ebibi, Rescidi,*  
I, medium habent breve; quia in Simplicibus  
*fidi-*

*fidi* a findo: *rēscidi* a rescindo: *bibi* a bibo etc  
i Vocalem penultimam corripiunt.

4. *Oblitum* ab *oblino*, *insitum*, *circumdatum*, *desitum*, penultimam habent brevem, quia fiunt a Supinis brevibus, *Litum*, *Satum*, etc.

### Appendix.

Quantitas Simplicium servatur in Compositis, quamvis Vocales mutentur. Sie: *Concido*, *Excido*, *Incido*, *Recido*, a *Cado*: *Eligo*, *Seligo* a *Lego*, *gis*. penultimam corripiunt. Contra: *Excido*, *Incido*, *Occido*, *Recido* a *Caedo*, eandem producunt. Sie: *Allido*, *Collido* a *Lae-do* *Exquiero*, *Requiero* a *Quaero*: *Obedio*, *obe-dis* ab *Audio*.

Æn. 2. *Occidit*, occideritque simul cum nomine *Troja*.

Juv. Sat. 7. *Occidit miseros crambe re-pe-tita Magistros*.

2. Hæc a Simplicibus longis orta corripiuntur: *Dejero*, *Pejero* a *Furo*: *Pronuba*, *innu-ba* a *Nubo*: *Fatidicus*, *Maledicus*, *Causidi-cus*, *Veridicus* a *Dico*, *cis*: *Semisopitus* a *sopitus*.

Cic. Tusc. 3. *Saxum sudans nitendo*, ne-que proficit hilum.

Hor. l. 2. Sat. 3. *Stultitia ne erret*, nihi-lum distabit an ira.

3. *Connubium* a *Nubo*, secundam syllabam habet communem.

Æn. 3. *Hectoris Andromache*, *Pyrrhin*, *connubia servas*?

Æn. 1 *Connubio jungam stabili*, propri-amque dicabo.

*Participium: Ambitus, a, um, longum;  
Nomen: Ambitus, us, breve.*

*Admonitio.* Hæ de Compositis, et Derivatis Regulæ magnopere inculcandæ sunt, quae plurimarum vocum quantitatem indicant. Multa simplicia, vel primitiva e pronunciatione compositi, vel derivati, et contra agnosci possunt. Sic v. g. primam intelliges esse brevem in dissyllabis simplicibus, *Ago, amo, edo, bibo, coquo, colo, rego, strepo etc.* quia composita media brevi efferuntur: *Adigo, adamo, comedo, ebibo, concoquo, recolo, dirigo, perstrepo.* Primam longam habent, *Rodo, velo, halo, fido, cudo, trudo, ludo, pono,* quia media longa dicitur: *Arrodo, revelo, inhalo, confido, recudo, retrudo, colludo, compono.*

In trissyllabis ex pronunciatione tertiaræ personæ compositi, ut: *Foveo, moveo, fugio, rapio, capio, jacio, etc.* prima sunt brevi, quia sic effertur media in *confovet, admonet, refugit, eripit, incipit, adjacet, etc.* Longæ sunt. *Rideo, mugio, munio, finio,* quia media longa est in *irridet, immugit, praemunit, definit, etc.*

### Præceptum X.

#### De Præpositione in Compositione.

*Longa A, De, E, Se, Di, praeter Dirimo,  
atque Disertus.*

*Sit Re, breve; at Refert, a res producito semper.*

*Corripe pro Graecum, produces rite latinum.  
Contrahe, quae Fundus, Fugio, Neptisque,  
Neposque,*

*Et Festus, Fari, Fateor, Fanumque crearunt.  
Hisce profecto addes, pariterque Procella, Protervus:*

*Atque Propago, genus: Propago protrahe vitis.  
Propino varia, Procuro, Propago. Profundo.  
Corripe Ab, et reliquas, (obstent nisi consona bina)*

*Quae*

*Quae sunt Ad, vel In, Ob, Per, Sub, Super,  
Anteque, Circum.*

*Id est: A, E, De, Di, Se, cum compo-  
nuntur, longæ sunt, ut: Amitto Erumpo, De-  
duco, Separo.*

*Æn. 1. Amissos longo socios sermone re-  
quirunt.*

*Æn. 3. Deducunt socii naves, et littora  
complent.*

*Æn. 1. Tergora diripiunt costis, et viscera  
nudant.*

*Met. 1. Separat Aonios Actaeis Phocis ab arvis.*

*Excipe 1mo. Dirimo, et Disertus di corri-  
piunt.*

*Æn. 5. Cede Deo, dixitque, et praelia vo-  
ce diremit.*

*Mart. L. 6. Non tu Pomponi, caena diser-  
ta tua est.*

*2do. Re Praepositio in compositione corri-  
pitur sed Refert, impersonale, id est: Interest,  
producitur.*

*Æn. 1. Collectasque fugat nubes, solem-  
que reducit.*

*Georg. 2. Est numerus, neque enim nu-  
mero comprehendere refert.*

*3tio. Pro, Præpositio brevis est apud Græ-  
cos, ut: Propontis; longa apud Latinos, ut:  
Proveho, Promoveo.*

*Ov. de Pont. 4. Misit in has si quos lon-  
ga Propontis aquas.*

*Æn. 3. Provehimur portu, terraeque, Ur-  
besque recedunt.*

Verum corripiuntur *Profundus*, *Profugus*, *Pronepos*, et *Proneptis*, *Profectus*, et *Profecturus*, a *Proficiscor*, (nam a *Proficio* eandem producunt) *Procello*, et *Protervus*, *Propago* nomen, cum genus significat: nam *Propago*, id est: *vitis depressa*, producitur.

*Luc. 6. Quem prior affatur Pompeji ignava propago.*

*Georg. 2. Sylvarumque alios pressos propaginis arcus.*

*4to. Propino, Proculo: Tibul. lib. 1. Ipse procuravi, ne etc. Profundo, dis, raro eadem producit.*

*5to. Präpositiones: Ab, ut: Ageo; Ad, ut: Adeo; In, ut: Iuero; Ob, ut: Ogeo; Per, ut: Pereo; Sub, ut: Subeo; Super, ut: Superaddo; Ante, ut: Antefero; Circum, ut: Circumago, corripiuntur; Item A Græca particula, ut: Adamas, adytum, atomus.*

*Ov. Fast. 3. Immolat hunc Briareus facta ex Adamante securi.*

*Æn. 6. Talibus ex adyto dictis Cumaena Sybilla.*

*Juv. Sat. 7. Circumagit madidas a tempestate cohortes.*

Composita ex *Ab*: Abigo, aborior, abutor, aboleo, Ex *ad*: Adulor, aduro, aduncus, adoleo, adorno, adopto, adhortor, abhæreo, adamо. Ex *In*: Inaudio, ineptio, ineo, inhio, inhibeo, inhorreo, inungo, inuro. Ex *Ob*: Oberior, Oberro. Ex *Per*: Peruro, Perhibeo, Perhorresco, Perimo, Peredo, Pererro, Perambulo. Ex *Sub*: Subigo, Subaudio, Subirascor, Suborno, Suboleo, Subobscurus. Ex *Ante*: Anteeo, Antecurro, Antecedo. Ex *Circum*: Circuneo, Circumerro, etc. Ex *Graeco*: Atheus, Amusus.

## Præceptum XI.

De A, I, O. dum compositi vocabuli partem priorem terminant.

Produc A semper composti parte priore.

At simul E, simul I, crebro breviare memento.

Nequidquam produc, Nequando, benefica, nequam.

Nequaquam, nequis, sociosque; Videlicet ad-  
des.

Idem masculeum produc, et Siquis, ibidem.

Scilicet, et Bixae, Tibicen, ubique, Quadrigae.

Bimus, tauidem, Quidam, et composta diei.

Compositi O, breviant Graeci: Samothracia testis.

Sed minotaurus, pariterque Geometra longum  
est.

O Latinum variat: producere namque Alioquin,  
Et quandoque; at Quandoquidem breviare  
solemus.

*Id est: Si prior pars compositi A vocali  
terminetur, producitur, ut: Trano, traduco,  
Trado.*

*Georg. 3. Ascanium superant montes, et  
flumina tranant.*

*Tibul. l. 1. Me mea paupertas vitae tra-  
ducat inertii.*

*1. Si vero E vocali finiatur, fere brevis est,  
ut: Nefas, Archetypus, Liquefacio, Tepefa-  
cio, Tremefacio, Stupefacio, Madefacio.*

*Juv. Sat. 3. Credebant hoc grande nefas.*

*Georg. 4. Eademque calor liquefacta remittit.*

*Hor. l. 1. Sat. 5. Ferrum tepefecit acutum.*

*Sic: Nefastus, nequeo, neque, trecenti, e-  
quidem, valedico, hujuscemodi, etc. U 2 do.*

**2do.** *Excipe:* Nequis, nequa, nequod, nequam, nequitia, nequaquam, nequidquam, nequando, videlicet, veneficus, venefica.

**Æn. 12.** *Nequa meis esto dictis mora.* Jupiter hac stat.

**Ov. Epist. 4.** *Barbara narratur venisse venefica tecum.*

**3to.** Si prior pars compositionis in I, vel Y, desinat, corripitur, ut: *Omnipotens, Causidicus, Siquidem, Fidicen, Lyricen, Tubiceps, Palinurus, Polydorus.*

**Æn. 10.** *Tum pater Omnipotens, rerum cui summa potestas.*

**Mart. l. 5.** *Carpere Causidicus fertur mea carmina, qui sit.*

**Luc. l. 4.** *Hoc siquidem solo civilis crimen belli.*

**Hor. Carm. 1.** *Romanae fidicen lyrae. Glyconius est.*

**Æn. 9.** *Nudus in ignota Palinure jacebis arena*

**Æn. 3.** *Nam Polydorus ego: hic confixum ferrea texit.*

*Sic:* Biceps, triceps, tricolor, bivium, trivium, siquidem, agricola, parricida, aliger, artifex, opifex, totidem, unigenus, ludifico, fructifico, magnifico, etc.

**4to.** I, longum habent: *Ibidem, ubique, idem, Pronomen virile ( nam neutrum breve est ) Bigae, Quadrigae, Siquis, siqua, Siquidem, Sicubi, Scilicet, Licet, Tibicen, Meliphyllon, Trinacria, Bimus, Trimus, Quadrimus, Tantidem, Quivis, Quidam, Quilibet, Biduum, Triduum, cæteraque composita ex die, ut: Meridies, Quotidie, Pridie, Postridie; Quadriduum corripitur interdum.*

**Mart.**

Mart. 12. *Difficilis, facilis, jucundus, acerbus es, Idem.*

Georg. 3. *Sicubi magna Jovis antiquo robore quercus.*

Hor. Art. *Tibicen, traxitque vagus per pulpita vestem.*

Georg. 4. *Trita Meliphylla, et Cerinthae ignobile gramen.*

Mart. l. 2. *Si totus tibi triduo legatur. Phaleucus est.*

Idem l. 2. *Inter tepentes post meridiem buxos. Seazon est.*

Ter. Andr. Act. 1. *Venit Chremes postridie ad me clamitans. (postri) Spondeus est in Jambico.*

5to. *Uubicunque, frequenter I, habet breve.*

Mart. l. 1. *Qui tecum cupis esse meos ubi- cunque libellos.*

Hor. l. 4. Ode 27. *Sis licet felix ubicunque mavis.*

Ov. tamen Met. 7. produxit: *Servator, ubi- cunque est. etc.*

6to O in Graecis Dictionibus priorem compositi partem claudens corripitur, ut: *Cymothoe, Carpophorus, Argonauta, Leucopetra.*

Mart. l. 1. *Saecula Carpophorum, Caesar, si prisca tulissent.*

Idem l. 3. *Non Nautas puto vos, sed Argo- nautas. Phaleucus est.*

7mo. Quæ per Omega apud Græcos scri- buntur, longa sunt, ut: *Geometria, Minotau- rus, Lagopus.* Nec plura facile invenies, qui- bus utantur Latini.

Æn. 6. *Minotaurus inest, Veneris monimenta nefandæ.*

Mart. l. 7. Ep. 36. *Si meus aurita gaudet  
Lagopode Flaccus.*

## DE INCREMENTIS

### *Nominum, et Verborum.*

*Admonijio.* Quae de Nominum, ac praecipue Verborum Incrementis sequuntur, Tironibus alioqui, cum e Primitivis, tum usu nota sunt pleraque. Quæ fortasse causa fuit, ut exteri clarissimi nominis Grammatici de his ne mentionem quidem faciant, Quare doctrinam hanc totam in quarta classe omittendam, nulloque pacto memoriae mandandam; sed hinc statim ad ultimas syllabas transgreendiendum existimò.

De Incremento Singulari Nominis.

*Quid sit Incrementum Nominum?*

Si Genitivus Singularis par fuerit Nominali syllabarum numero, nullum erit Incrementum, ut: *Musa, Musæ, Dominus, Domini.* Si longior fuerit, tum penultima Genitivi Incrementum erit, quæ in omnibus Casi bus utriusque numeri semper Genitivi quantitatē servat, ut: *sermo, sermonis, sermonem, sermones, sermonibus, ubique O;* longum est, præter, *bobus,* ubi *O* producitur, quamvis in Genitivo Singulari corripiatur *Bovis.*

Ov. Ep. 3. *Non profecturis littora bobus aras.*

### *Appendix:*

*Iter, Supellex, et composita ex Caput, litteris Ps finita, duplici augentur Incremento;*  
K. ut:

ut: *Itineris*, *supellectilis*: *Biceps*, *bicipitis*:  
*triceps*, *tricipitis*.

*Incrementum 1mae, et 2dae Declinationis.*

*Casibus Obliquis vix crescit Prima: Secunda*  
*Corripit Incrementa; tamen producit Iberi.*

*Id est: A, Incrementum Primæ Declinationis nullum est, nisi longum apud Poetas,*  
*ut: Aulai, Pictai.*

*Æn. 3. Aulai in medio libabant pocula Bachi.*  
*Æn. 6. Æthereum sensum, atque Aulai simplicis ignem.*

*E, I, U, Incrementa Secundæ Declinationis corripiuntur, ut: Miser, miseri. Vir, viri. Satur, saturi.*

*Æn. Arma Virumque caro, Trojae qui primus ab oris.*

*Pta. Sat. 1. Romulidae saturi quid dia Poemata narrent.*

Nomina Secundæ: Liber, liberi, asper, puer, prosper, Trevir, etc.

### Exceptio.

*Iber, iberi, penultimam habet longam, et ex eo compositum: Celtiber, Celtiberi.*

*Luc. l. 4. Interea domitis Caesar remeabat Iberis.*

*Mart. l. 1. Vir Celtiberis non tacende gentibus. Jambicus est.*

*Incrementum A, 3tiae Declinationis.*

*Nominis A crescens, quod flectit Tertia, longum est.*

*Mascula corripies Al, et Ar finita, simulque*  
*Par.*

*Par cum Compositis, Hepar, cum Bachare, Nectar,  
Cum Vade, Mas, et Anas, queis junge La-  
remque, Jubarque.*

*Id est: A, Incrementum Singulare tertiae  
Declinationis longum est, ut: Vectigal, Titan,  
Pietas, Pax, Calcar, et Ajax.*

*Ov. Fast. 3. Concitat iratus validos Ti-  
tanas in arma.*

*Æn. 7. Pars mihi pacis erit dextram teti-  
gisse Tyranni.*

*Æn. 6. Seu spumantis equi foderet calcari-  
bus armos.*

*Sic: Æstas, felicitas, honestas, Comitas, et infi-  
nita ejusmodi: Laquear, tribunal, lacunar, lupanar,  
fallax, pétax, etc.*

### *Exceptio I. in Vocalibus Latinis.*

*Corripe Masculina in Al, et Ar, ut: An-  
nibal, Amilcar, Par, impar, compar, dispar,  
etc. Sic Lar, Jubar. Vas, vasis longum est.  
Vas, vadis breve.*

*Æn. 2. Vela dabant laeti, et spumas sa-  
lis aere ruebant.*

*Syl. l. 8. Annibalem, Fabio ducam spe-  
ctante per Urbem.*

### *Exceptio II. in Graecis Vocibus.*

*A, quoque, et As Graecum breve postulat In-  
crementum.*

*S, quoque finitum, si Consona ponitur ante.  
Et Dropax, antrax, Atrax, cum Smilace, Cli-  
max:*

*His Atacem, Panacem, Colacem, Styracemque,  
Facemque,*

*Atque Abacem, Coracem, Phylacem, composta-  
que necte.*

*Id est: Græca in A, et As, ut: Poema,  
Stemma, Pallas, et quæ Consonantem habent  
ante S, ut: Trabs, Arabs: item Dropax, etc. in  
Carmine enumerata, Incrementa habent brevia.*

*Juven. Sat. 8. Stemmatu quid faciunt?  
quid prodest Pontice longo.*

*AEn. 2. Instar montis equum Divina Palladi-  
dis arte.*

*Ov. Fast. 4. Nam modo thurilegos Arabes,  
modo despicit Indos.*

*Graeca in A: Dogma, stroma, aroma, scomma, the-  
ma, diadema, phlegma, glaucoma, peristroma, etc.*

*Graeca in as: Lampas, monas, nomas, olympias,  
hebdomas, Dryas, etc. Consonans ante S: Lælaps, daps.*

### *E, Incrementeutum Tertiae.*

*E crescens numero breviabit Tertia primo;  
Verum Protrahitur Genitivus in Enis. Iberque.  
Ver, halex, locuples, haeres, mercesque, quiesque.  
El peregrinum Er, Es Graecum, Æthere, et  
Aere demptis.*

*Id est: E, Incrementum Singulare tertiae  
Declinationis breve est, ut: Grex, nex, degener,  
pulvis, funus, tres.*

*Met. 4. Mille greges illi, totidemque ar-  
menta per herbas.*

*Sic: Pauper, vetus, verber, sidus, abies, mulier,  
siser, piper, cadaver, cucumis, paries, pes, vomis.*

### *Exceptio.*

*Genitivus Enis penultimam habet longam,  
ut: Ren, renis: Siren, sirenis.*

*Genitivus in Enis:* Hymen, splen, atagen, lichen.

Item peregrina in *El*, ut: Michael. Græca etiam in *Er*, et *Es*, ut: Crater, later, soter, tapes, lebes, præter Aer, Æther. Producitur quoque *Ver* et reliqua, quæ ponuntur in carmine.

Georg. I. *Vere novo, gelidus canis cum montibus humor.*

Æn I. *Crateras magnos statuunt, et vina coronant.*

Ov. Ep. 3. *Viginti fulvos operoso ex aere lebetes.*

Juv. Sat. I. *Vervecum in patria, crassoque sub aere nasci.*

I, vel Y, *Incrementum Tertiae.*

Corripet pariter crescens I, Tertia primo In numero; at Graecum patrium producit in inis Gryps, Vibex, Nesis, Lis, Dis, Glis, addito Samnis.

*Id est: I, vel Y, Incrementum singulare Tertiæ Declinationis breve est, ut: Stips, stipis, pollex, chlamys, chalybs, ordo, pugil, etc.*

Ov. Fast. I. *Dic, inquam, parva cur stipe quaerat opes?*

Georg. I. *At chalybes nudi, ferrum, viro-saque Pontus.*

*Sic: Stipes, gurges, fomes, iris, cespis, palmes, sanguis, lapis. lenimen, columen, carmen, pecten, etc.*

*Exceptio I. Inis, vel Tnis in Graecis.*

*Genitivus Inis, vel Tnis a nonnullis Græcis, penultimam producit, Delphin, Phorcin, Salamis.*

*mis.* Item *Vibex*, *vibicis*, *Glis*, *gliris*, *Nesis*, *Nesidis*, *gryphs*, *gryphis*, *Samnis*, *itis*, *lis*, *litis*, *dis*, *ditis*, quibus adde *Quirites*.

Ecl. 8. *Orpheus in sylvis, inter Delphinas Arion.*

Æn. 3. *Laomedontiadem Priamum Salamina petentem.*

Pers. Sat. 4. *Si puteal multa cautus vibile flagellas.*

Æn. 9. *Noctes, atque dies patet atri janua Ditis.*

*Exceptio II. Icis, vel Tcis.*

*IX, produc, breviato Histrix, cum fornice, varix, Coxendix, Chaenixque, Cilix, natrixque, calixque, Adde et Eryx, et Onix, nix, pixque, salixque, flixque.*

*Sardonychis, Calycis, Laricis. Sit bebrycis anceps;*

*Sed beeibus junges, in Gis cum patrius exit. Coccyx, coccygis, Mastyx, mastygis amabit.*

---

*Id est: Nomina in IX, vel TX syllaba finita, penultimam Genitivi habent longam, ut: Felix, bombyx, bombycis, perdix, coturnix, matrix, pernix, lodix.*

Æn. 3. *Vivite felices, quibus est fortuna peracta.*

Excipitur histryx, fornix, cilix, varix, pix, natrix, (*serpens*) nix, nivis, calix, et calyx, etc.

Luc. 1. 2. *Armenios, Cilicasque feros, Taurosque subegi.*

Idem 1. 3. *Nunc pice, nunc liquida rapuere incendia cera.*

*O, Incrementum Tertiae.*

*O, crescens numero producimus usque priore.  
O parvum in Graecis brevia, producito magnum.  
Corripitur Genitivus Oris, quem neutra dedere  
Nomina; Sed produc Os, oris. Sit brevis arbor,  
Et lepus, et pus compositum, bos, compos, et  
impos.*

*Addē his Cappadocem, Allobrogem, cum prae-  
coce, et obs, ops.*

*Verum produces Cercops, Hydrosque, Cyclops-  
que.*

*Id est: O, Incrementum singulare tertiae  
Declinationis in Latinis Nominibus longum est,  
ut: Sol, vox, velox, celox celocis, candor, unio,  
Sacerdos, mango, mangonis.*

*Ov. Met. 2. Regia Solis erat sublimibus al-  
ta columnis.*

*Sic: Ardor, odor, color, flos, eos, mos, dos, ros,  
nitor, decor, pavor, moeror, rubor, etc.*

### *Exceptio I.*

Graeca in *On*, quæ in Obliquis habent Omicron, corripiuntur, ut: *Philaemon, Palaemon, Sindon, Agamemnon, Jason, Amazon.* Sic Senones, Britones, Lingones, Teuthones, Vascones, et alia usu discenda.

*Aen. II. Pulsant, et pictis bellantur Amazones armis.*

Latini interdum litteram omittunt, ut: *Macedo, Brito, Vasco, Saxo, Pepo, Agamemno.*

*Stat. l. II. Conclamant Danai, simulat-  
que Agamemno valentes.*

*Sic: Arion, Ieon, Pyracmon, Castor, Artemon, Aetaeon Daemon, Orion, Lycaon, etc.*

Quæ vero per Omega scribuntur, longa sunt, ut: *Simon*, *Spandon*, *Agon*, *Sidon*, *Solon*, *Lacon*, *Sichon*, etc. Duo variantur *Orion* et *Ægon*.

*Sic: Graecorum dissyllaborum magna pars, ut: Zeron, Trito, Conon, Thraso, Theon, Minos, Juno, Dion, Ammon, Dido, Lacon, etc.*

### Exceptio II.

Genitivus in *Oris* a Nominibus Græcis, et Latinis Neutris (præter *Os*, *oris*) penultimam habet brevem, ut: *Nestor*, *marmor*, *ebur*, *corpus*. His adduntur: *Memor*, *arbor*, *lepus*, et ex *Pus*, *podos* composita, ut: *Tripus*. Item *Bos*, *compos*, et *impos*.

Ov. Met. 2. *Ipse sui decoris, qualis cum deficit orbi.*

Virg. Opusc. *Sic vos non vobis fertis aratra boves.*

Genitivus in *Oris*, a Græcis: *Mentor*, *Stentor*, *Philopator*.

Genitivus in *Oris*, a Latinis Neutris; *Tergus*, *tempus*, *frigus*: *robur*, *pignus*, *fœnus*.

### Exceptio III.

Corripitur etiam *Cappadox*, *Allobrox*, præcox, et quæ Consonantem habent ante *S*, ut: *Scrobs*, *Æthiops*, *Cecrops*, *Dolops*, præter *Cyclops*, *Cercops*, *Hydrops*.

Mart. l. 9. *Cappadocum saevis Antistes occidit oris.*

Æn. *Hic Dolopum manus, hic saevus tendebat Achilles.*

Ov. Met. 1. *Tela reponuntur manibus fabricata Cyclopum.*

Met. 14. *Cercopum exosus.*

*U, crescens in Tertia.*

*U, brevia Incrementa feret: sed Casus in Udis,  
Uris, et Utis ab Us recto producitur, et Fur,  
Lux, Frux. Sed brevis, Intercusque, pecusque,  
Ligurque.*

*Id est: U, Incrementum tertiae Declinatio-  
nis breve est, ut: Murmur, furfur, etc.*

*Georg. 4. Magnanimosque Duces, totius-  
que ex ordine gentis.*

*Sic: Exul, nux, turtur, redux, tradux, etc.*

*Exceptio.*

*Interrogandi Casus Uris, Udis, et Utis, ab  
us Recto penultimam habet longam, ut: Palus,  
paludis; Tellus, telluris. Virtus, virtutis. Item  
Fur, furis, cum cæteris obliquis; Pollux, Lux,  
et frugis, a Nominativo *Frux* inusitato, Corri-  
piuntur vero Intercus, intercutis: Pecus, pecu-  
dis: Ligur, Liguris.*

*Virg. Eccl. 3. Quid Domini facient, au-  
dent cum talia fures.*

*Titul. l. 2. El. 1. Luce sacra requiescat  
humus, requiescat arator.*

*Sic: Incus, senectus, juventus, subscus, salus, etc.*

**DE INCREMENTO PLURALI NOMINIS**

**P**enultima Genitivi, vel Dativi pluralis numeri dicitur *Incrementum Plurale*, cum uterque casus longior sit Nominativo ejusdem numeri, ut: Musæ, musarum: Ambo, amborum, ambobus: Qui, quorum, quibus: Res, rerum, rebus.

**A, E, I, O, U,**

*Pluralis Casus si crescit, protrahe A, E,  
Atque O; corripies I, U; verum excipe: Bubus.*

*Id est: A, E, O, Incrementa multitudinis longa sunt, ut: Quarum, harum, ambabus; Rerum, rebus; Horum, quorum.*

Ov. de Pont. El 5. *Cum tamen a turba rerum requieverit harum*

Æn. 2, *At Capys, et quorum melior sententia menti.*

*I, et U, Incrementa multitudinis corripuntur, ut: Quibus, Tribus, Montibus, Lacubus, Verubus.*

Virg. Eccl. 5. *Montibus in nostris solus tibi certet Amyntas.*

Ov. Fast. 3. *Praemia de lacubus proxima musta tuis.*

Verum Bobus, seu bubus producitur.

---

## DE VERBORUM INCREMENTO.

*Quid sit Verbprum Incrementum?*

**S**ecunda Persona singularis Modi Indicativi Norma est, ad quam Verborum Incrementa diriguntur; cui si Verbum sit æquale, nullum erit Incrementum, ut: Amat, amant, quia dissyllaba sunt, sicut Amas ( quæ Norma, et Regula est Incrementorum ) nullum habent Incrementum. Si Verbum longius sit una Syllaba, unum habebit Incrementum; nam ultima nunquam dicitur Incrementum. Si duabus Syllabis norma superetur, duo erunt Incrementa, ut: Amabitis, amabimus. Si tribus, tria, ut: Amaveritis, amaverimus. Si denique quatuor, totidem erunt Incrementa, ut: Audiebamini.

2. In Verbis Deponentibus singenda est Vox Activa, ad quam Verborum Incrementa dirigantur.

3. Ultima Syllaba, ut modo diximus, nunquam est Incrementum; prima vero est, si Norma ipsa sit monosyllaba, ut: Das, fles, Damus, datis, dabam, dare, et cætera dissyllaba; Unum habent Incrementum: eodem modo: flemus, fletis, flebam, flere.

### Præceptum I.

#### De Incrementis Verborum A, et E.

*A, crescens produc, Do Incremento excipe primo.  
E, quoque producunt verba increscentia. Verum  
Corripiunt E ante R, ternae duo tempora prima.  
Sed Reris, vel Rere, cur penultima longis.  
Sit brevis E, quando Ram, Rim, Ro, adjun-  
cta sequuntur:*

*Et Beris, atque Bere, in Verbi breviato futuris.  
Corripit interdum Steterunt, Dederuntque Poeta.*

*Id est: A, in omni Verborum Incremento producitur, ut: Stabam, stare; properamus, docebamus, legebamus, audiebamini, &c.c.*

*Ov. Met. 10. Serius, aut citius metam  
Properamus ad unam.*

*Æn. 2. Trojaque nunc stares, Priamique  
Arx alta maneres.*

### Exceptio I.

*A, primum duntaxat Incrementum Verbi  
Do, corripitur, ut: Damus, dabunt, dare; ob  
quam cauiam pronunciamus: Circumdamus, cir-  
cumdabant, circumdare; Venumdabo, venu-  
dere, etc. penultima brevi.*      *Æn*

Æn. 2. His lacrymis vitam damus, et miserescimus ultro.

Æn. 1. Vela dabant laeti, et spumas salis cere rubeant.

Ov. Met. Fussit et ambitae circumdare littora terrae.

Redundamus autem, redundabo, redundare, etc. longa sunt; non enim a *Do*, *das*, *dedi* sunt: sed ab *Undo*, *as*, *avi*. Sic etiam Abundare, Exundare, Inundare, etc.

E, in omnibus Verborum Incrementis producitur, ut: *Fiebam*, *rebar*, *lacereris*, *doctrem*, *legerunt*.

Ov. Fast. 1. *Flebat Aristaeus, quod apes cum stirpe necatas.*

Æn. 6. *Sic equidem ducebam animo, rebarque futurum.*

Mart. l. 1. *Daedale, Lucano cum sic lacereris ab ursso.*

### Exceptio II.

E, ante R, breve est in primo Incremento Praesentis, et Imperfecti Tertiae Conjugationis, ut: *Cognoscerem*, *legerem*, *legeremus*, *legeris vel legere Praesens Passivum*. *Reris* tamen, et *rere*, producitur, ut: *Loquereris*, *prosequerere* etc.

Ov. Trist. 1. *Ut neque respiceres, nec solarere jacentem*

*Dure, nec exequias prosequerere meas.*

Mart. l. 1. Ep. 65. *Illud laurigeros ageres cum laeta triumphos.*

*Hoctibi, Roma, caput, cum loquereris, erat.*

## Exceptio III.

*E*, ante *Ram*, *Rim*, *Ro*, corripitur, ut: *A-*  
*maveram*, *amaverim*, *amaverō*, *Feceram*, *fe-*  
*cerim*, *fecero*.

De cæteris Personis idem esto iudicium:  
*Amaveris*, *amaverit*, *amaverimus*: *Fecerimus*,  
*feceritis*.

Met. 3. *Fecerat exiguae jam Sol altissi-*  
*mus umbras.*

## Exceptio IV.

*Beris*, et *Bere* semper corripitur, ut:  
*Celebraberis*, vel *celebrabere*; *Mordeberis*, vel  
*mordebere*.

Æn. 8. *Semper honore meo, semper cele-*  
*brabere donis.*

Ov. Trist. 1. *Tu cave defendas, quamvis*  
*mordebere dictis.*

## Appendix.

Poetæ in Præterito Indicativi *E*, litteram  
 ante *Runt* syllabam pro suo jure interdum  
 corripiunt.

Æn. 3. *Obstupui, steteruntque comae, et*  
*vox saucibus haesit.*

Tibul. l. 2. *Nec cithara, intonsæ profue-*  
*runtve comae.*

Ne tamen putent novi Poetæ, idem passim sibi  
 licere in brevi præsertim poemate.

## Præceptum II.

De Incrementis Verborum *I*, *O*, et *U*.  
*Corripit I*, *crescens Verbum*: *producitur Ivi*.  
*Prueteritum*: *sed Imus breviatur*, *deme velimus*,  
*Nolimus*, *Simus*, *quaeque hinc composta da-*  
*buntur.*

Et

*Et quodvis quartae Incrementum I protrahe  
primum.*

*RI Conjunctivi possunt variare Poetae.*

*O, Incrementum produc: U, corripe semper.*

*Id est: I, in quovis Verborum Incremento corripitur, ut: Quimus, inquimus: amabimus, audiebamini.*

*Æn. 8. Linquimus Ortygiae portus, pelagosque volamus.*

*Hor. l. i. Sat. 3. Communi sensu plane caret, inquimus, ehen!*

#### *Exceptio.*

*Penultima Præteriti in Ivi longa est, ut: Petivi. Et primum Incrementum Quartæ Conjugationis, ut: Audivimus, audire, audirem. Sic venimus. reperimus, Præsentis Temporis: sic Imus, ibam, ibo, ito, et Composita. Corripitur tamen secundum Incrementum, ut: Audivimus; et tertium, ut: Audiveritis.*

*Æn. 2. Cessi, et sublato montem Genitore petivi.*

*Æn. 6. Tu! ne cede malis, sed contra audentior ito.*

*Æn. 3. Fungimus hospitio dextras, et tecta subimus.*

*Hæc etiam I longum habent: Nolito, nolite, nolimus, Velimus, velitis; Simus, sitis, et composita, ut: possimns, adsimus, proximus, desimus, etc.*

*Ov. Met. i. Et documenta damus, quasimus origine nati.*

*De Pont. Si quis, ut in populo, qui sitis, et unde, requirat?*

*Ap-*

## Appendix I.

*Imus in Præterito penultimam corripit,*  
ut: *Venimus, Reperimus, Comperimus.*

*Æn. 1. Non nos aut ferro Lybicos popu-*  
*lare Penates.*

*Venimus, aut raptas ad littora vertere*  
*praedas.*

## Appendix II.

Tempora Conjunctioni Modi syllabis: *Ri-*  
*mus* et *Ritis* finita habeantne penultimam bre-  
vem, aut longam, etiam veteres Grammatici  
certant, et adhuc sub Judice lis est. Diomedes  
enim docet, Præteritum breve esse, Futurum  
vero longum. Probus utruinque longum esse  
affirmat.

Quare, cum Versus facies, Poetas optimos imitaberis; qui *Ri* syllabam Conjunctioni modo corripiant, modo producunt, prout Versus postulat. Si tibi aliquid recitandum erit, ne sermonem des Auditoribus, Regionis consuetudini servies.

*O, in Verborum Incrementis semper pro-*  
*ducitur, ut: Facitote.*

*Ov. Met. 9. Cumque loqui poterit, Matrem,*  
*facitote, salutet.*

*U, in Verborum Incrementis, ubique cor-*  
*ripitur, ut: Sumus, possumus, volumus.*

*Hor. Ep. 1. Nos numero sumus, et fru-*  
*ges consumere nati.*

*Ibid. Si Patriae volumus, si nobis vivere cari.*

## DE ULTIMIS SYLLABIS.

**S**yllabæ, quæ ultimum locum tenent, partim  
positione, ut: *Prudens, præcox: partim Diph-*

thongo, ut: Musæ: partim privatis præceptionibus cognoscuntur, de quibus nunc agendum est.

*A*, in fine.

*A finita dato longis; ita, postea deme,  
Eja, Quia, et Casus omnes; sed protrahe sextum.  
Productis Graecos Casus adjunge Vocandi.*

*Id est: A*, finita longa sunt, ut: Memora, contra, ultra, antea, frustra, triginta, quadraginta; quamquam hæc Numeralia correpta reperiuntur interdum.

*Æn. 2. Musa mihi causas memora, quo  
Numine laeso.*

*Æn. 3. Triginta capitum foetus enixa  
jacebat.*

*Juv. Sat. 2. Ultra Sauromatas fugere hunc  
libet, et glacialem.*

Corripe: *Eja, poslea, quia, ita.*

Item Casus omnes in *A*, ut: Anchora, vela; præter Ablativos, ut: de prora; et Vocativos Græcos ab *As*, sive primæ, ut: o *Ænea*: sive tertiaræ, quorum Génitivus in *Antis*, ut: o Atla, Calcha, Palla.

*Æn. 11. Non ita me experti Bitias, et Pin-  
darus ingens,*

*Æn. 3. Anchora de prora jacitur, stant  
littore puppes.*

Ibid. *Quid miserum Ænea laceras? jam  
parce sepulto.*

*Æn. 11. Non haec, o Palla, dederas pro-  
missa Parenti.*

*Ov. Met. Tempus, Atla, veniet, tua quo  
spoliabitur auro.*

*E in fine.*

*Corripe, E, sed Primae, Quintaeque vocabula produc,*

*Atque fame, Cete, Tempe, Fermeque, Fereque.  
Adde doce, similemque modum, et Monossyl-*

*laba; praeter*

*Enclyticas, ac Syllabicas; nec non male dempto,  
Ac bene. Produces Adverbia cuncta Secundae,*

*Id est: E, littera finita corripiuntur, ut:  
Nate, fuge, pone, pene, nempe.*

*Æn. 2. Heu fuge nate Dea, teque his, ait,  
eripe flammis.*

*Eccl. 9. Pene simul tecum solatia raptas,  
Menalca.*

*Sic: Rete, monile, bubile, præsepe, breve, forte,  
acre, sedile, mare, etc.*

*Exceptio I.*

*Producuntur Nomina Primæ, et Quintæ Decli-  
nationis, ut: Anchisiade, Calliope, Re, Die,  
et quæ inde oriuntur, ut: quare, hodie; quibus  
adde: Fame, Cete, Tempe, Mele, Ferme, Fere*

*Æn. 6. Tros Anchisiade, facilis descen-  
sus Averni.*

*Mart. 1. 10. Non venias quare tam longo  
tempore Romam.*

*Æn. 6. Objicit ille fame rabida tria gut-  
tura pandens.*

*Juv. Sat. 6. Nulla fere causa est, in qua  
non fæmina litem.*

*Idem. Sat. 1. Mobilis, et varia est ferme  
natura malorum.*

*Sic Nomina Primæ Declinationis: Musice, Aloe, Rhodope, crambe, Pentecoste, Parasceve, plastice, etc.*

*Nomina quintae*: Glacie, facie, macie, specie, eburie, etc.

### Exceptio II.

Item Verba Imperativi Modi numeri singularis secundæ Conjugationis, ut: Vide, habe.

Æn. 7. *Tu Vatem, tui Diva, mone, dicam horrida bella.*

Mart. l. 1. *Quae tua sunt, tibi habe, quae mea, redde mihi.*

*Cave* tamen sæpius corripitur.

Hor. Ep. 1. *Vade, vide, cave, ne titubes, mandataque frangas.*

Ov. Trist. 1. *Tu cave defendas, quamvis, mordebere dictis.*

*Sic:* Doce, move, tace, torque, stude, sede, svade, etc.

### Exceptio III.

Sunt etiam longa Monosyllaba, ut: *Me, te, se,* exceptis Conjunctionibus Enclyticis: *Que ne, vs, (quæ et, an, vel significant)* et syllabicis adjectionibus: *Pte, ce, te,* ut: *Suapte, hisce, tute.*

Æn. 1. *Tantane vos generis tenuit fiducia vestri?*

Æn. 6. *O Virgo nova mi facies, inopinave surgit.*

Hor. l. 1. Sat. *Hiscene versiculis speras tibi posse dolores.*

Luc. l. 2. *Accipe praetered, quae corpora tute necesse est.*

### Exceptio IV.

Longa præterea sunt Adverbia a Nominibus secundæ Declinationis profecta, ut: *Placide, valide, minime; præter Bene, et Male.*

Ex-

Mart. l. 9. *Excipe sollicitos placide mea dona libellos.*

Idem l. 2. *Nil bene cum facias, attamen omnia belle.*

Hor. in Art. *Et male tornatos incudi reddere versus.*

*Sic: Sancte, docte, graphice, temere, perverse aspere, blande, misere, otiose, tenere, etc.*

### Appendix.

Adjectiva tertiae Declinationis, cum in adverbia e finita transeunt, ultimam habent brevem, ut: *Sublime, svave, etc.*

Virg. Eccl. 9. *Cantantes sublime ferent ad sidera cygni.*

Eccl. 4. *Ipse sed in pratis aries jam sva- ve rubenti.*

*Adverbia ex Adjectivis tertiae: Leve, grave, inane, habile, inflabile, labile, dulce, facile, difficile, etc.*

### I, in fine.

*I, produc: brevia nisi, cum quasi; Graeca que quintae.*

*Fure Mihi variare, Tibique, Sibique solemus. Corripies Ibi, Ubi, melius, dissyllabon et Cui.*

*Id est: I, Vocali terminata longa sunt, ut: Classi, fieri.*

Aen. 6. *Sic fatur, lacrymans, classique immittit habenas.*

Mart. L 8. *Quam vellem fieri meus libellus. Phaleucus est.*

### Exceptio I.

*Corripe Nisi, quasi, et Graeca quintae Declinationis, quæ in I, vel Y exeunt, ut: Palladi, Daphni, Moly.*

L 2.

Ov. de Pont. l. 4. Quid nisi, Pierides, so-  
latia frigida restant?

Stat. Anchil. 1. Palladi littoreae celebra-  
bat Syros honorem.

Catul. Morte ferox Theseus qualem Mi-  
noidi luctum.

Idem. Luce autem canae Thetyi restituor.

Eccl. 6. Insere, Daphni, pyros, carpent  
tua poma Nepotes.

Mart. L 10. Teque putas Pyladi, Palliodo-  
re, parem.

Sic: Daphnidi, Dryadi, Arioni, Castori, etc. nisi  
more Latinorum construantur.

### Exceptio II.

*Mihi, Tibi, Sibi* ultimam habent communem.

*Ibi, Ubi, cui* (cum dissyllabum est), frequen-  
tius corripiuntur : sic compositum *Sicubi.*

Georgic. 3.

Æn. 1. Post mihi non simili poena com-  
missa luetis.

Eccl. 10. Extremum hunc, Arethusa, mi-  
hi concede laborem.

Mart. l. 1. Sed norunt, cui serviant leo-  
nes. Phaleucus est.

O, in fine.

*O datur ambiguis, Graeca, et Monossyllaba*  
*longis.*

Ergo pro causa; tertius, sextusque, Secundae.  
Atque adeo, atque ideo, atque Adverbia Nomi-  
ne nata;

Sed Cito corripies, Modoque, et Scio, Nescio,  
et Imo,

Et Duo. Sit variū Sero, et conjunctio Vero.

Id

*It est: O,* finita ambigua sunt, ut: Ambo, quando, opto, nolo, eo, queo, vigilando.

Mart. l. 2. Ep. 45. *Nolo boletos, ostrea nolo, tace.*

Idem l. 4. Ep. 90. *Pondero, poto, cano, ludo, lavo, coeno, quiesco.*

Juv. Sat. 3. *Plurimus hic aeger moritur vigilando: sed illum.*

Luc. l. 3. *Audendo magnus tegitur timor, arma capessam.*

### Exceptio I.

Excipe Monossyllaba, ut: Do, sto: Dativos, et Ablativos, ut: Somno, tuo, quæ longa sunt; et Græca, quæ habent Omega, ut: Androgeo; Atho, Clio. Alecto, Erato, Dido, quibus accedit Ergo pro causa.

Æne. 2. O *Lux Dardaniae, spes o fidissima Teucrum.*

Ibid. *Invadunt Urbem, somno, vinoque sepultam.* (membra.)

Æn. 7. *Alecto torvam faciem, et furialia*

### Exceptio II.

Adverbia a Nominibus orta producuntur, ut: Subito, merito, multo.

Hinc rursus excipiuntur Modo, et composita: quomodo, postmodo, dummodo, cito, imo, et scio, nescio, duco.

Mart. *Tam subito corvus, qui modo cygnus erat.*

Vel. *Non habet ergo aliud, non habet imo suum?*

### Exceptio III.

Adverbium Sero, et conjunctio Vero ultimam habent communem.

Ti-

Tibul. *Heu sero revocatur amor.*

Stat. *Serbo memor thalami*

*O Graeca Cum Omega;* Sapho, Mento, Callisto,  
Callipso, Echo,

*U, B, D, T, in fine.*

*U, semper produc, B, D, T, corripe semper.*

---

*Id est: U, finita longa sunt, ut: Manu,  
Cornu, Panthu.*

Æn. 2. *Tela manu miseri jactabant irri-  
ta Teucri.*

Ov. Met. 11. *Nec mora! curvavit cornu,  
nervoque sagittam*

Æn. 2. *Quo res summa loco Panthu?  
quam prendimus arcem?*

*B, D, T, litteris terminata corripiuntur,  
ut: ab, quid, audit.*

Virg. Æn. 8, *Tum Pater Æneas puppi  
sic fatur ab alt.*

Æn. 2. *Quidquid id est, timeo Danaos,  
et dona ferentes.*

Lacr. l. 4. *Tu temet in culpa cum sis, nec  
cernere possis.*

*C, M, L, in fine.*

*C, longum est. Varium Hic pronomen. Corri-  
pe donec.*

*Et nec, fac, pariter malunt breviare Poetae.  
Corripe L, produc Sal, Sol, Nil, multaque  
Hebraea.*

*M, vorat Ecclipsis: Prisci breviare solebant.*

---

*Id est: C, littera finita longa sunt, ut:  
Sic, Hoc, Hic Adverbium.*

Virg. Æn. 3. *Sic oculos, sic ille manus,  
sic ora ferebat.*

Æn.

Æn. 2. *Classibus hic locus, hic acies certare solebant.*

*Exceptio.*

Corripe Nec, et Donec. *Hic Pronomen virile est anceps; Fac tutius corripitur.*

Ov. Trist. 3. *Parve, nec invideo, sine me liber ibis in Urbem.*

Æn. 6. *Hic vir, hic est, tibi quem promitti saepius audis.*

Æn. 9. *Est hic, est animus lucis contemplator, et istum.*

Ov. Phylli fac exspectes Demophoonta tuum.

Ov. 5. Met. *Hos fac Armatos, haec est Danaeia Persis.*

Mart. l. 9. *Signa rarius; aut semel fac illud.* Phaleucus est.

L, finita brevia sunt, ut: *Asdrubal, Semel, Vigil, Simul, Consul, Nihil.*

Syl. L 7. *Vertitterga citus damnatis Asdrubal ausis.*

Hor. Ep. 1. *Quo semel est imbuta recens servabit odorem.*

Pers. Sat. 1. *De nihilo nihil, in nihilum nil posse reverti.*

*Exceptio.*

*Sal, Sol, et Nil contractum a nihil longa sunt. Item pleraque peregrina, ut: Nabal, Daniel, Saul, quamquam Baal, et Michol rectius coripiuntur.*

Stat. Syl. l. 4. *Non sal, oxiporumve, cassusve.*

Ov. Met. 2. *Ulterius spatium medio Sol altus habebat.* Mart.

Mart. l. 10. *Nil aliud video, quo te credamus amicum.*

*M*, finita olim corripiebantur, neque a sequente vocali excipiebantur.

Enn. Annal. 10. *Insignita fere tum millia militum octo.*

Lucr. L. I. *Corporum augebit numerum, summanque sequetur.*

Idem. l. 2. *Nam quod suividum est, e laevis, atque rotundis.*

Idem l. 6. *Semina, seque simul cum eo commiscuit ignis.*

Hoc etiam servatur in Compositis Verbis.

*N*, in fine.

*N*, longum est Graecis pariter, pariterque Latinis. *En*, brevia, quod format Inis breve; Graeca secundae.

*Jungimus et quartum, si sit brevis ultima recti. Forsitan, In, Forsan, Tamen, An, Viden, ad jice curtis.*

*Id est: N*, littera finita longa sunt, ut: *Sin, Titan, Siren, Salamin, Actæon, et cætera tertiae Declinationis, quæ in On exeunt.*

Virg. Æn. 1. *Sin absunta salus, et te Pater optime Teucrum.*

Luc. I. *Unde venit Titan, et nox ubi Sidera condit.*

Met. 3. *Actæon ego sum, Dominum cognoscite vestrum.*

2. Item Accusativus Græcus Nominum in *As, Es, E*, ut: *Ænean, Anchisen, Caliopen.*

3. Græcus item Genitivus multitudinis ejusvis Declinationis, ut: *Cimeron, Epigrammaton.*

Æn. 12. Et saevum Ænean agnovit Turnus in armis.

Æn. 3. Anchisen: hic me Pater optime fessum.

Tibul. l. 4. Cimmerion etiam obscuras secessit in oras.

Sic. Pygmalion, Laomedon, Canon, Icon, Sindon, Agon, Triton, Arion, etc. *Accusativus Graecus*: Musiken, Grammaticen, Plasticen, Epitomen, Rhetoricen, etc. *Genitivus Graecus Pluralis*: Thematon, Hæreseon, Peristromaton, etc.

### Exceptio. I.

Corripe *An*, *In*, *Forsan*, *Forsitan*, *Tamen*, *Attamen*, *Viden*, *Nostin* apud Ovid Ep. 12. *Nostin*, *an exciderint*. quod tamen alii rectius legunt: *Nescio*, *an exciderint*. Sed *Scin*, *Audin*, et similia producuntur.

Item *En* syllaba finita, quæ faciunt in Genitivo *Inis*, penultima brevi, ut: Nomen, lumen, flumen, etc.

Æn. 1. *Forsitan*. et *Priami fuerint quae fata, requiras.*

Stat. Theb. *Ipsa dedit viden ut jugulo consumperit eusem.*

Fast. 2. *Nomen Arionium Siculas impleverat Urbes.*

Sic: Specimen, Fareimen, Molimen, Numen, Gluten, Examen, etc.

### Exceptio. II.

Corripiuntur etiam Græca in *On*, quæ ad secundam nostram Declinationem spectant, ut: Pelion, Ilion, Eroton.

Ov. Ep. 13. *Ilion, et Tenedos, Simoisque, et Xanthus et Ida.*

Fast. 5. *Pelion Æmoniae mons est adversus ad Aufros.* Mart.

Mart. l. 5. *Pallida nec nigras horrescat  
Eroton umbras.*

*Sic*: Misterion, Symbolon, Evangelion, Encomion, Enchiridion, Teqedon, etc.

Omnis denique Accusandi Casus, qui a Nominibus ultimam brevem habentibus profiscuntur, ut: Scorpion, Tethin, Ityn, Majan, Æginan,

Luc. l. 1. *Scorpion incendis cauda, che-  
lasque peruris.*

Met. 7. *Tantane vis animi est, Ityn huc  
accersite dixit,*

Stat. Theb. 7. *Namque ferunt raptam pa-  
triis Æginan ab undis.*

*Sic*: Parin, Poesin, Syntaxin, Genesin, Parænesin, Charybdin, Sindæresin. etc.

*R*, in fine.

*R*, breve; sed longum est *Far*, *Par*, cum pigno-  
re, *Lar*, *Nar*,  
*Cur*, *Fur*, cum Graecis, quibus est Genitivus  
in *Eris*.

*Addito Iber*; sed *Cor* medius breve, *Celtiber* an-  
ceps.

*Id est*: *R*, littera terminata corripiuntur,  
ut: Amilcar, Semper, Semivir, Prætor, He-  
ctor, Turtur,

Sil. l. 3. *At senior Siculis exultat Amil-  
car in armis.*

Luc. 8. *Inseruisse manus impure, ac Se-  
mivir audes?*

Eccl. 1. *Nec gemere aeria cessabit turtur  
ab ulmo.*

*Sic: Tuber, iter, linter, siser, papaver, Nectar, cor, arbor, æquor, marmor, ardor, furor, etc.*

*Exceptio.*

Producitur *Cur, Far, Fur, Iber, Lar, Nar, Ver, Par* cum Compositis, ut *compar, impar, dispar*. Et Graeca, quæ faciunt Genitivo *Eris*, ut: *Aer. æther, crater*.

Hor. in Art. *Cur ego, si nequeo, ignoro. que, Poeta salutor?*

Mart. l. 5. *Callidus effracta nummos fur auferet arca.*

Luc. l. 1. *Si tibi durus iber, aut si tibi terga dedisset.*

Hor. Ser. 2. *Ludere par, impar equitare in arundine longa.*

Luc. l. 5. *Inde mane, inde aer, inde aether. ignifer ipse.*

*Sic: Luter, Soter, Präster, Halter.*

*As, in fine.*

*As produc. Quartum Graecorum Tertia Casum. Corripit et Rectum, si in Adis breve patrius exit.*

*Id est. As syllabæ finita longa sunt, ut: Æneas, Pallas, antis, Fas, Nefas, Calchas, Atlas.*

*Æn. 10. Æneas ignarus abest, ignarus et absit.*

*Ib. Tela, manusque sinit, hinc Pallas instat, et urget.*

*Georg. I. Fas, et jura sinunt rivos deducere nulla.*

*Exceptio.*

*I. Corripe Graeca, quorum Genitivus exit in adis, penultima brevi, ut: Arcas, Arcadis, Pallas, palladis, Najas adis.*

2. Item Accusativos plurales tertiaz Declinationis Nominum Græcorum, ut: Troas, Delphinas, Heroas.

Met. 6. *Pallas anum simulat, falsosque in tempora canos.*

Mart. l. 9. Ep. 36. *Cum quibus Alcides, et pius Arcas erat.*

Eccl. 4. *Permisiōs Heroas, et ipse videbitur illis.*

*Sic, Tempestas, Adamas, Comitas, Felicitas, etc.*

*Graeca in As, adis: Mēnas, Olympias, Hebdomas, Lampas, Dryas, Monas, etc.*

*Accus. Plur. Graecus: Rhetoras, Doemonas, Hebdomadas, Lampadas, Dryadas, Olimpiadas, Cyclops.*

*Es, in fine.*

*Es quoque produces: Breviat sed tertia rectum, Cum Patri brevis est crescens penultima. Pes hinc Excipitur, Paries, Aries, Abiesque, Ceresque. Corripe et Es de Sum, et Penes, et Pluralia Graeca.*

*Id est: Es, syllaba terminata longa sunt, ut: Anchises, Locuples, Quoties, Octies, Decies, Tricies, etc.*

*Æn. 6. Anchises alacris palmas utrasque tetendit.*

*Mart. l. 11. Orbus es, et locuples, et Brutus Cœsule natus.*

*Id. l. 10. Ep. 51. Dicere te lassum; quoties ego credo Quirino.*

*Id. l. 8. Uno nasceris octies in anno. Phaleucus est,*

*Sic: Veles, Pedes, Abietes, Felices, Edaces, Homines, Audaces, Ædes, Doces, etc.*

## Exceptio I.

Corripe Nomina tertiarum Declinationis, quæ crescent in obliquis, penultima brevi, ut: *Dives, eques, hospes, pedes, peditis.*

*Æn. 2. Insula dives opum, Priami dum Regna manebant.*

*Æn. 6. Obvius armato, seu cum pedes iret in hostem.*

*Sic: Miles, eques, sospes, teges, seges, obses, deses, etc.*

*2, Præter Abies, aries, ceres, paries, pes, cum compositis, ut: cornupes, sonipes, triples.*

*Ecc. 6. Populus in fluviis, abies in montibus altis.*

*Luc. l. 3. Non aries illis, non ulla machina belli.*

*Georg. I. Flava ceres alto nequidquam spectat Olympo.*

*Mèt. 6. Nec pes ire potest, intra quoque viscera saxum est.*

*Æn. 4. Stat Sonipes, ac fraena ferox spumantia mandit.*

## Exceptio II.

*Es, a verbo *Sum*, breve est, et ex eo compōsita, ut: *Potes, ades, Item Penes: Græca neutra in Es, Cacoethes; Præterea Nominandi, Vocandique Casus Græcorum, ut: Dæmones, Rhetores, Amazones, Troes, Arcades.**

*Æn. 2. Quisquis es, amissos jam hinc obliviscere Grajos.*

*Mart. l. 8. Tu potes et Patriae miles, et esse decus.*

*Hor. in Art. *Quem penes arbitrium est, et jus, et norma loquendi.**

*Juv.*

Juv. Sat. 1. *Scribendi Cacoethes, et aegro  
in corde senescit.*

Eccl. 9. *Ambo florentes aetatibus; Arca-  
des ambo.*

Æn. 1. *Egressi optata potiuntur Troes  
arena.*

Graec. Nom. et Vocab. Macedones, Thraces, Am-  
phitryones, Lacones, Phryges, Crateres, etc. quae  
tamen more Latinorum ut strui, ita produci possunt.

*Is, vel Ts, in fine.*

*Corripias Is, et Ts; Plurales excipe Casus.  
Gis, Sis, Vis (Verbum, ac Nomen) Nolisque,  
velisque.*

*Audis, cum sociis; quorum est Genitivus in Inis,  
Entisque, aut Itis, longum, producito semper.*

*Id est: Is, vel Ts finita corripiuntur, ut:  
Apis, Inquis, Ais, Thetis, Thetys, Itys,  
Met. 13. Non apis inde tulit collectos se-  
dula flores.*

Stat. Ach. 1. *Jam dudum tacito lustrat  
Thetis omnia visu.*

Fast. 5. *Thetys et extremo saepe recepta  
loco est.*

Fast. 4. *Alter erit tum Tiphys, et altera  
yuae vehat Argo.*

Mat. 1. 5. *Non est, inquis, idem; multo  
plus esse probabo.*

*Sic: Ovis, lapis, pulvis, vomis, felicis, fortis, le-  
gis, sermonis, etc.*

### *Exceptio I.*

1. *Excipe Casus omnes Multitudinis, ut:  
Viris, armis, musis, nobis, vobis; Item queis*

*pro*

pro quibus: et Accusandi Casus, Omneis, Urbeis, Civeis, quos aliqui scribunt: Omnis, Urbis, Civis, etc.

2. Item *Glis*, *vis*, (nomen, et verbum) *Sis*, cum compositis: *Quamvis*, *velis*, *nolis*.

3. Et secundas Personas Numeri Singularis, Modi Indicativi, quartæ Conjugationis, ut: *Audis*, *nescis*, *sentis*.

*Æn.* 1. *Praesentemque Viris intentant omnia mortem.*

*Ibid.* *Queis ante ora Patrum Trojae sub moenibus altis.*

*Ib.* *Non ea vis animo, nec tanta superbia victis.*

*Mart.* l. 9. *Jam satis est: non vis, Afer avare, vale.*

*Idem* l. 1. *Nescis, heu nescis dominae fastidia Romae.*

### Exceptio II.

Longa præterea sunt, quorum Genitivus exit in *Inis*, *Entis*, *Itis*, penultima longa, ut: *Salamis*, - *minis*, *Simois*, - *entis*, *sannis*, - *nitis*, *Lis*- *litis*.

*Ov. Ep.* 1. *Hac ibat Simois, hic est Sigeia tellus.*

*Hor. Art. Grammatici* certant, et adhuc sub *Judice lis est.*

*Petron.* *Et pictis anas iñovata peñis. Phaleuc.*

*Os*, in fine.

*Vult Os produci: Compos breviatur, et Impos.* *Osque, ossis: Graecorum et neutra, et cuncta Secundae.*

*Addicta Ausonidum: Graecus Genitivus, et Omnis.* *Id*

*Id est: Os, finita longa sunt, ut: Os, o-*  
*ris Dominos, Tros, Minos, Athos, Androgeos,*  
*etc. quae per Omega scribuntur a Graecis.*

*Met. 1. Os Homini sublime dedit, Caelum-*  
*que tueri.*

*AEn. 6. Tros Anchisiade, facilis descen-*  
*sus Averni.*

*AEn. 2. Androgeos offert nobis, socia*  
*agmina credens.*

*Exceptio.*

*Corripe Os, ossis, Compos, et Impos, et*  
*Graeca Neutra, ut: Chaos, Melos, Argos.*

*Luc. l. 3. Exos, et exsanguis tumidos*  
*perfluctuat artus.*

*Ov. Insequere, et voti postmodo compos eris.*

*AEn. 6. Et Chaos, et Phlegeton, loca no-*  
*cte silentia late.*

*2. Item Os finita, quæ a Græcis ad secun-*  
*dam Latinorum Declinationem transeunt, ut:*  
*Tyros, Arctos, Illios.*

*Luc. l. 3. Et Tyros instabilis, pretiosa-*  
*que murice Sidon.*

*Mart. l. 9. Nescia nec nostri nominis Ar-*  
*ctos erat.*

*Ov. Ep. 1. Illos, et murus, quod fuit*  
*ante solum.*

*3. Omnes denique interrogandi Casus, a*  
*quibuscunque rectis proficiscantur, ut: Arca-*  
*dos, Pallados, Typheos, Tethyos, Tereos.*

*Met. 1. Arcados hic sedes, et inhospita*  
*tecta Tyranni.*

*Fast. 4. Alta jacet vasti super ora Ty-*  
*phoeos Aetna.*

*Luc.*

*Luc. I. 1. Tethyos unda vaga lunaribus  
aestuet horis.*

*Gæca in Os secundae Latinorum: Timotheos, Abi-  
dos, Menelaos, Pædagogos, Barbytos, Cophinos, etc.*

*Graeci Genitivi: Lampados, Geneseos Hæreseos, Poe-  
seos, Erimanthios, Paridos.*

*Us, in fine.*

*Us breve ponatur: Produc Mono syllaba; quæque Casibus increscunt longis: et Nomina Quartæ;  
Excepto Recto et Quinto: et quibus exit in Untis Patrius, et conflata e Pus, contractaque Graeca In Recto, ac Patrio et Venerandum Nomen J̄esus*

*Id est: Us, syllaba terminata brevia sunt ut: Deus, littus, intus; Et Nominandi, vocandi que Casus singulares, et Dativi, atque Ablativi plurales quartæ Declinationis, ut: Manus, sensibus.*

*Æn. 3. Heu fuge crudeles terras, fuge littus avarum.*

*Æn. 2. Hic Dolopum manus, hic saevus tendebat Achilles.*

*Eccl. 2. Sensibus haec imis, res est non parva, reponas.*

*Exceptio I.*

*Excipe Monosyllaba, ut: Plus, rus, thus, mus.*

*Luc. I. Plus illa vobis acie, quam creditis, actum est.*

2. Et quæ crescunt in obliquis penultima longa, ut: Salus, tellus, palus, udis. Et Nomina quartæ Declinationis præter Casus antedictos, ut: Aditus, vietus.

*Met. 1. Mox etiam fruges tellus inarata ferebat.*

Met. II. *Zuncta palus haec est, densis  
obsessa salictis.*

Mart. I. II. *Hos aditus Urbem Martis  
habere decet.*

*Exceptio II.*

Denique produc Græca Nomina, quorum Genitivus exit in *Untis*, ut: Opus, Amanthus, Et quæ ex *Pus*, *podos* componuntur, ut: Tripus, Melampus. Quae ex *Oos* contrahuntur, ut: Panthus, ex panthoos. Item Genitivus in *us*, a Foemininis in *O*, ut: Manto, Mantus, Clio, Clius etc. quæ etiam ex *Oos* contrahuntur.

Æn. 10. *Est Amathus, est celsa tibi Pa-phos atque Cythera.*

Æn. 2. *Panthus Otriades arcis, Phaebique Sacerdos.*

Æn. 10. *Fatidicae Mantus, et Thusci filius amnis.*

Huc etiam JESUS, Sacrosanctum Domini, atque Redemptoris nostri Nomen spectat.

4. *Us*, finita non contracta, ab *Os* Sylla profecta corripiuntur, ut: Pamphagus, Oribasus, Polypus, quorum ultimo Æoles per *Os* scribuunt, *Polipos*, quare a Latinis per *Us* effertur, ultima brevi.

Met. 3. *Pamphagus, et Dorceus, et Ori-basus, Arcades omnes.*

Hor. Epod. 10. *Polypus, an gravis hir-sutis cubet hircus in alis.*

Idem. I. 1. Sat. 5. *Delectant, veluti Bal-binum Polypus Agna.*

ARTIS METRICÆ  
P A R S P R I M A.  
S E U  
DE VERSIFICATORIA.  
PRO SUPREMA GRAMMATICES CLASSE.

*A*d Latinam Poeticam e Grammatica aspiranti pri-  
mum est, Syllabarum tempora, seu quantitates perno-  
scere, quod ediscenda Prosodia, postrema nempe Gram-  
matices parte praestatur. Alterum solutam sententiam  
in metri formam construere, id quod apta vocum mu-  
tatione, et ejusmodi collatione fit, ut desiderati Metræ  
Pedes exeat denique. Haec mutatio ipsa est Syntacti-  
cā Enallages Figura, qua orationis partes, ejusque atribu-  
ta tamdiu versantur, varieque commutantur, dum ad  
propositum carmen nihil absit, nihil redundet. Est i-  
gitur haec Figura ipsum Solum, ac Fundamentum Poe-  
tici idiomatis. Alia porro est commutatio Sententiaram,  
Vocum alia. Ut sententia eadem diversissimis modis va-  
riari possit, in ornata Syntaxi, Capite IV. de Copia  
Latini Sermonis abunde actum est. Hic de Vocum Enal-  
lage, seu Commutatione unice sermo est.

E Partibus Orationis mutabilibus praecipue  
variationem admittunt Verbum, et Nomen:  
ad quod item Participium refertur. Mutatur  
autem partim secundum Figuram, partim se-  
cundum Speciem. Ut Verbum mutatur pri-  
mo: in Nomen. 2do: Activum in Passivum,  
et contra. 3to. Simplex in Compositum, et  
contra. 4to. Quoad Modos. 5to Quoad Tem-  
pora. Mutatur Nomen. 1mo. Substantivum Ver-  
bale in Verbum. 2do. Quoad Casus. 3to.  
Quoad Numerum. 4to: Quoad Genus, et Per-  
sonas. 5to: Adjectivum in Substantivum, etc.

## CAPUT I.

## DE MUTATIONE,

SEU ENALLAGE VERBI.

## SECTIO I.

*Mutatur Verbum in Nouen.*

**F**it mutatio, cum Verbum Primitivum, aut Derivatum, Simplex, aut Compositum mutatur in Nomen Substantivum, cui deinde Verbum aliud ex Syntaxi, lectione Auctoris, vel suo cuiusque judicio additur: v. gr.

*Aestuo, immani terrore aestu.**Angor, anxietate premor.**Alo, miseris alimenta ministro.**Aro, agros proscindit aratro.**Cano, Cantum modulabor avena.**Doleo, me dolor incessit.**Fleo, diffluo fletu.**Frigesco, uruntur frigore membra.**Fugio, me committo fugae.**Gemo, emitto tristes gemitus.**Glorior, me gloria vexat inanis.**Honorō, merito afficeris honore.**Jējuno, frangunt jejunia corpus.**Jocor, in nugas solvitur, inque jocos.**Laboro, oblector, recreor que labore.**Lacrimor, lacrimis indulgeo.**Laetor, laetitiae me do.**Lateo, tutas mihi quæro latebras.**Laudo, non falsis laudibus orno.**Ludo, perdo bona tempora lusu.**Lugeo, conficiar luctu.**Meto, optatam colligo messem.**Moereo, in moerore jaceo.**Munero, muneribus cumulo.**Obliviscor, me oblivio capit.*

- Palleo*, pallor in ore sedet.  
*Paveo*, titibant mihi membra pavore.  
*Pudet*, pudor ora subit.  
*Raucesco*, captas raucedine fauces.  
*Senesco*, obrepit lentum senium.  
*Sileo*, indico silentia lingvæ.  
*Sitio*, me sitis infestat.  
*Sordeo*, sordibus oppletur.  
*Squaleo*, in squalore sedet.  
*Studeo*, ad studia incumbo.  
*Sudo*, fumant sudoribus artus.  
*Taedet* me, me taedia frangunt.  
*Terreo*, terrorem incutio.  
*Timeo*, serpit in ossa timor.  
*Tono*, concutitur tonitru coelum.  
*Torpeo*, ignavo torpore sepultus.  
*Vestio*, me vestibus induo.  
*Voveo*, votum concipio.  
*Vulnero*, infligo vulnera, etc.

*Nota.* Si his Nominibus addatur epithetum, ut in exemplis plerunque, suapte dilatari Constructionem. sed de his alias dicetur.

## S E C T I O I I.

### *Verbum Simplex mutatur in Compositum.*

**M**utat figuram Verbum, si e Simplice facias Compositum, aut contra, ut ratio versus exegerit, nempe cum syllaba una, vel adscenda est, vel abjicienda. Curandum tamen, ut ne significationem mutet, sed Compositum cum Simplice Synonimum sit. Ut sunt ex Praepositionibus: *Ad*, *con*, *de*, *ex* *in*, *pro*, *per*, *re*, *ob*. En specimen Compositorum ejusmodi cum Primitivo Synonimorum.

- |                           |                                 |
|---------------------------|---------------------------------|
| <i>Augeo</i> , ex au geo. | <i>Facio</i> , con per ef ficio |
| <i>Bibo</i> , con bibo.   | <i>Fari</i> , pro ef fari.      |
| <i>Bullio</i> , e bullio. | <i>Ferveo</i> , ef fervesco.    |

<i>Cardo</i> , con-cido.	<i>Fleo</i> , de fleo.
<i>Cado</i> - con pro-cido.	<i>Frango</i> , in con fringo.
<i>Calco</i> , pro-con-culco.	<i>Fugio</i> , pro ef fugio.
<i>Cano</i> , concino.	<i>Fulcio</i> , suffulcio.
<i>Capio</i> , ac-per-cipio.	<i>Fulgeo</i> , ef af fulgeo.
<i>Cörper</i> , de corpo.	<i>Fungor</i> , per de fungor.
<i>Cavo</i> , ex cavō.	<i>Gemo</i> , in gemo.
<i>Cedo</i> , con cedo.	<i>Gusto</i> , de gusto.
<i>Cingo</i> , in cingo.	<i>Horreo</i> , ab co ex horreo.
<i>Clamo</i> , con in ex clamo.	<i>Hortor</i> , ad co exhortor.
<i>Cumulo</i> , ac cumulo.	<i>Jacio</i> , con projicio.
<i>Curro</i> , per pro occurro.	<i>Jungo</i> , ad con jungo.
<i>Damno</i> , con demno.	<i>Juvō</i> , ad juvo.
<i>Duro</i> , per duro.	<i>Laboro</i> , ad elaboro etc.
<i>Egeo</i> , in digeo.	<i>Lacrimor</i> , il col lacrimor.
<i>Laudo</i> , col di laudo.	<i>Largior</i> , di e largior.
<i>Lenio</i> , de limio.	

## S E C T I O III.

*Verbum Act. mutatur in Passiv. et contra.*

**M**utatur Activum in Passivum, ac viscissim, ut versui alterutrum magis servit. Tum autem s̄a pe omittitur Nominativus Pronominum: *Ego*, *tu*, *ille*, etc. Ablativus vero subinde cum Præpositione a, nonnunquam sine ea; alias in Dativo ponitur, ut in subjectis exemplis.

Huc pertinent Verba illa, quæ a bonis Auctoribus jam Activa, jam Passiva terminazione usurpantur, ut: *Impartio*, *impertior*: *Luxurio*, *luxur or*: *Revertio*, *revertor*: *La crimo*, *lacrimor*: *Assentio*, *Assentior*: *Fluctuo*, *fluctuor*: *Conspicio*, *conspicior*: *Munero*, *muneror*.

*Activa Passivis mutata.*

Totam hyemem dormio. *Tota mihi dormitur hyems.*  
Artem ars ludit. *Ars luditur arte.*  
Obsequium amicos vincit. *Obsequio vincuntur amici.*  
Victos superare victorem s̄a pe videmus. *Victorem a vi ctis superari.* Non

Non ullus me audit. *Non audior ulli,*  
Sæpe non magnus canis aprum tenet. *A cane non ma-*  
*gno saepe tenetur aper.*

Data dona ipsum Jovem placant. *Placatur donis Ju-*  
*piter ipse datis.*

Usus conterit ferrum, silices tenuat. *Conteritur ferrum:*  
*silices tenuantur ab usu.*

Eadam est ratio Passivi in Activum mutandi, nec  
exempla afferre attinet, in re alioquin puerulis nota.

## S E C T I O I V.

### *Mutatur Verbi Modus.*

**P**ermutari potest Indicativus Coniunctivo, præsertim in Tempore Præsentí, ac Futuro, sequente, aut præcedente particula *si*, *cum*, etc. v. gr. Id non inficier, quod aīs, pro *infi-*  
*cior.*

Te rediisse velim, pro *volo.*

Vicerō, si pugnare datur, *vincam.*

Nil peritum quod sit, amato, *est.*

Res fuerit nobis gratissima, *erit.*

Mutantur etiam Modi a Conjunctionibus, quæ et Indicativum, et Subjunctivum admittunt, v. gr. *Si voles, vel volueris.*

Ubi voles, volueris. Cum vacabit, vacaverit. Quando aderit, adfuerit. Donec eris felix, fueris. N̄ cedis, cedas. Antequam morior, moriar, Pr̄iusquam ignis ardet, ardeat. Etsi, quamvis plura petis, petas. Gratuu est, quod redisti, redieris.

Imperativus Modus semper potest in Subjunctivum converti, v. gr. *A me illum convenito, a me conveneris illum.*

*Ipse veni, veneris.*

*Concedite id Superi, concesseritis.*

*Hac arbore carpe poma, Hac carpseris arbore poma.*

Perfer, et obdura, *obduraveris*  
Nil mihi créde, *credideris*.  
Ipse coerce temet, *ipse coercueris*.

Id præsertim cum particula *Ne* usuvenit,  
v. gr. *Ne id facito, facias, feceris*,

Passim autem mutatur Modus Indicativus,  
seu Conjunctionis suppressis Conjunctione, quod  
Verbo necessitatis *Debeo*, *Relativo qui* etc.  
particulis *postquam*, *cum*, *si* etc. quibus Ca-  
sibus Verbum Infinitivo Modo, ac in Partici-  
pio fere ponitur. Exempla passim offendes.

### *Suppressum Quod.*

Hæc te credibile est Phæbo didicisse Magistro, quod  
*didiceris*

Betuum in crasso jurares aere natum, *quod natus fuerit*.  
Ait, sic volveare Parcas, *quod volvant*.

Magno sentit misceri murnure pontum, *quod misceatur*.  
Advertit laqueos, insidiasque strui, *quod struantur*.

Ajunt Matrem peperisse gemellos, *quod pepererit*.

Sufficiat fugisse hostem, *quod fugerit*.

A se commissum negat id scelus, *quod commiserit*.

Jussa tibi mea contemni video, doleoque, *quod contemnas*.  
Peccatumque, oculos, est habuisse meos, *quod habuerim*.

### *Suppresso Debeo Verbum mutatum in dus.*

Hic tibi præcipue pura sit mente colendus, *hunc debes  
colere*.

Scilicet in Superis etiam fortuna luenda est, *debent luere*.  
Nec divitiis, nec paupertate notandus, *debet*, aut po-  
test notari.

Et victis servanda fides, *debet servari*.

Sors est sua cuique ferenda, *quisque debet ferre*.

Lex est metuenda nocenti, *debet metuere nocens*.

Templaque Romano conspicienda foro, *quae conspici  
possunt*.

Heu Loca felici non adeunda viro, *quae non debent adiri*.

Nequaquam huc ejiciendus eram, non debebam ejici.

Ipse fui solandus, solari me debebant.

Facta, quæ narrabas, dissimulanda tibi, quae dissimulare debebas.

Mala sunt longis attenuanda moris, debent attenuari, etc.

### *Suppressum Relativum qui, quae, quod Participium Præsentis.*

Parsque fui turbæ parva precantis idem, quae idem precabatur.

Tu patulæ recubans sub tegmine fagi. qui recubas.

Lacrimas non sponte cadentes, quae non sponte cadebant.

Vincentemque horrea messem, quae vincit.

Tumulum non omnia membra tegentem, qui tegebat.

### *Idem in Ablativo Absoluto.*

Matre Dea monstrante viam, quae, vel dum monstrabat.

Multum latrante Lycisca, cum latraret.

Zephiris mutantibus auras, dum mutant.

Nullo turbante Ueorum, dum nullus turbat.

Illa rapit Juvenes prima florente juventa, dum floret.

### *Huc pertinent illi Ablativi Absoluti.*

Te Cousule, dum tu eras, eris Consul.

Si non parta quies te Præside, dum tu Praeses es, eris eras,

Laudator temporis acti, se puero, dum puer fuerat.

Insonis se Judice nemo, qui sui Judex est.

### *Participium Praeteriti.*

Divitiis, et honoribus auctos vidi permultos, qui aucti fuere.

Phariamque ingressus in alnum perdiderat jam jura sui,  
( de Pompejo ) postquam ingressus est.

Extremo gemmas Oriente petitas, quae petitae fuere.

Plenaque desecto fiant fænilia campo, postquam desectus est

Ensem non hos quæsitum munus in usus, qui quæsitus est.

Segnius irritant animos demissa per aurem. quae demittuntur.

## Participium Futuri.

Aspice venturo latenter ut omnia sæculo, quod veniet.  
 Invitis oculis aspicienda venit, quae aspicietur.  
 Non audiendas mittit ad cælum preces, quae non audi-  
 dentur,  
 Defensura reos facundia, quae defendet.  
 Pomifer autumnus, nebulis cessurus, et undis, qui cedes.  
 Poma serit, sero carpenda nepoti, quae carpentur.  
 Nullis cessura procellis navis, quae nullis cedet.  
 Dona tulit nulli placitura, quae nulli, placebunt.  
 Morituri verba Catonis, qui jam moriturus erat.  
 Fit Rhodus hospitium rectari Principis orbem, qui reget.

Infinitivus etiam aliquando pro Indicativo usurpatur, v. gr. Mene incepto desistere vi-  
 ctam? ego desistam?

\* Tu pacem rumpere? subintel. audebis? Tu no-  
 stram transcendere fossam? etc. et quæ sunt ejusmodi  
 locutiones plerumque figuratæ.

## SECTIO V.

## Mutatur Tempus Verbi.

**V**arie mutari possunt Tempora, ut *imo*:  
 dum e tribus Præteritis: Imperfecto, Perfecto,  
 Plusquam Perfecto unum pro alio usurpatur.  
*2do*: Loco Præteriti, Tempus Præsens Indicati-  
 vi. *3cio*: Loco Præsentis Præteritum, vel etiam  
 Futurum. *4to*: Subjunctivi Præsens pro Imper-  
 perfecto secundo. *5to*: Infinitivi Præsens pro  
 Præterito. *6to*: Gerundia pro Præsenti Infiniti-  
 vi. Magno adeo hæc Temporum Enallage ad  
 Carminis facilitatem adjumento est, ut exemplis patet.

*imo*: E tribus Praeteritis alterum pro altero aghibetur, v. gr. ibamus, ivimus, ivera-  
 mus, Ferebam, tulī, tuleram.

Canetis exulibus mala plura ferebam. Exulibus cunctis nam mala plura tuli. Exulibus cunctis tuleram mala plura ipsa Jovis Conjur cessit ab Urbe sua. Cesserat Urbe sua. etc.

**2do.** Loco Præteriti Tempus Præsens, quod Historicis familiare, etsi non nisi præterita narrantibus, v. gr. Hæc ubi certa sedet sententia, pro sedet.

Ut data signa fuere, pars pedes ire parat, pro paravit. Primus init bellum, init. Spem vultu simulat, premit altum corde pavorem, simulavit, pressit.

**3.** E converso Item pro Præsente, vel Futuro, Præteritum adhibetur, v. gr. Copia si dabitur pugnandi, vicimus, pro vincimus.

Sic Virgilius de Apibus: Rege incolumi mens omnibus una; amissio rupere fidem, pro rumpunt. Hoc vento afflante perimus, pro peribimus. Ni deflectat iter, deerravit, pro deerrat, vel deerrabit. Si monitis pares, rem restituisti, pro restituis, vel restitues.

Exempla, quibus unum Tempus pro altero, quoad sensus patitur, usurpatum, sunt innumera. Tota licet veteres exornent undique cæræ atria. Dicere posses: exornarent, exornaverint, exornabunt.

Unus pellæo Juveni non sufficit orbis, vel sufficiebat, suffecit, suffecerat, suffecerit.

Nemo sine crimine vivit, vixit, vivet, vixerit.

Victorem a victo superari sæpe videmus, vidimus, vide-rimus.

Nemo diu gaudet, qui Judice vincit iniquo, vicit, vi-cerit, vincet: gaudebit, gavisus est. sit,

**4.** In Conjunctivo Modo sæpe Præsens pro Imperfecto adhibetur, v. gr. Ni Faciat, ventus mare totum proruat: loco ni faceret. Id est: Nisi Neptunus ventos coiceret ab Eolo im-missos, venti totum mare prouerent.

Ni mea cura resistat, jam flammæ erumpant, Ieo resistat, erumperent.

Intumeas nimicu si plus fortuna dedisset, pro intume-

Me item advertisses, videoas succrescere quosdam, loco videres, vel vidisses.

Non ita agat, si vir prudentior esset, pro ageret.

**5. Præsens Infinitivi in Præteritum verte-**  
re, magnum est Versificatori adjumentum in  
carmine condendo, v. gr. .

Quis minor est, quam tacuisse, labor? tacere.

Proximus nunc Deo est, qui scit tacuisse tacenda, tacere.  
Disce oculos continuuisse tuos, continere.

Ne pudeat te pœnituisse, poenitere.

Me sinis exilio delituisse meo, delitescere.

Quid gemuisse juvat? gemere.

Nolite turpes inseruisse jocos, inserere sermoni.

Quam multis linguam non tenuisse nocet, tenere.

Debebas oculos abstinuisse tuos, abstinere.

Qui possim vestris non doluisse malis? dolere.

Festinal nostros legisse libellos, legere.

Tune audes me despexisse Poetam? despicere.

**6. Geruudia in di, post Adjectiva Geni-**  
tivum regentia; in dum, post Präpositionem  
ad; in do, cum Präpositione in; Item Supi-  
na in um, et u, quibus carent Græci, Græco-  
rum more, id est: per Figuram Hellenismi e-  
leganter in Præsens Infinitivi commutantur,  
ut: nescia fallere, pro fallendi.

Avidus pugnare, pugnandi.

Timidos studiosus ligere cervos, figendi.

Gnarus Cœli describere motus, describendi.

Miscere venena peritus, miscendi.

Evacuare Sciphos cupidus, evacuandi.

Currere velox, ad currendum.

Assiduus pervolvere libros, in pervolvendis.

Promptus lacrimari, ad lacrimandum.

Orare attentus, *in orando.*

Certare paratus, *ad certandum.*

Afflictum veni solari, *solaturus.*

Explorare hostes abiit, *exploratum.*

Cum hæc Hellenismi species ad variationem simul, et elegantiam tantum conferat, ut P. Balde bene observavit, *Horatii præcipuas quasque elegantias, et gemmulas ab Hellenismo petitas esse, operæ pretium erit, rem pluribus exemplis illustrasse,* v. gr.

In nugas celer effundi. *se effendens.*

Jura dare ambitiosus. *ad Jura danda.*

Insectari alios vehementer, *in insectando.*

Herculeos fortis tolerare labores, *ad tolerandos.*

Currere iners, *ad currendum.*

Mendacia ludere solers, *ad ludenda.*

Nostra sequi vestigia, latus, *ad sequenda.*

Respondere morosus, *respondendo.*

Audax omnia perpeti, *ad perpetiendum.*

Alios vel verbo laedere mollis, *ad alios laedendos.*

Assiduus commentari, *in commentando.*

De lecto surgere tardus, *ad surgerendum, vel in surgendo.*

Munera spargere magnificus, *in spargendis.*

Facilis stomachari, *ad stomachandum.*

Opes parare diligens, *in parandis.*

Timidos constans agitare cervos, *in agitandis.*

Impatiens tantum perferre dolorem, *ut perferendum.*

In libros incubuisse piger, *ad incubendum.*

Tenax expendere uiminos, *ad expendendos.*

Objurgare Patrem filius impudens, *ad objurgandum.*

Lentus morem gessisse monenti, *ad morem gerendum.*

Juvare amicos oblivious, *juvandi.*

Lextram conseruisse alacris, *ad conserendum.*

Vir gravis, ridere parcus, *in ridendo.*

Servire libidinibus propensus, *ad seruum.*

Petulans lacezzere dictis, *ad lacezzendum.*

Aptus modulamine dulci detinuisse aures, *ad detinen-  
das aures.* Sen-

Sentire, et dicere rectum, *in sentiendo, et dicendo.*  
 Durus, rigidusque flecti, *ad flectendum.*  
 Dissimulare iram sapiens, *in dissimulanda.*  
 Mandata Patris sedulus exequi, *in exequendis, vel ad exequenda.*  
 Versutus struere insidias, *ad struendas.*  
 Vastam validus divellere quercum, *ad divellendam.*  
 Causas orare disertus, *in orandis.*  
 A falso stolidus discernere verum, *ad discernendum.*  
 Perspicax rimari astrorum vias, *in vel ad rimandas.*  
 Rixari pronus, *ad rixandum.*  
 Segnis agros proscindere aratro, *ad proscindendos.*  
 Pensum discere liebes, *ad discendum.*  
 Per plateas cursare frequens, *in cursando.*  
 Primus pertexere coepita, *ad vel in pertexendis.*  
 Festinus reparare aciem, *ad reparandam.*  
 Invitus studiis operam navare puerus, *ad navandum.*  
 Facundus laudare Deos, hominesque, *in laudandis.*  
 Monitori cedere durus, *ad cedendum.*  
 Sagax technas ornare dolosas, *ad ornandas.*  
 Cupidus ditescere, *ditescendi.*  
 Proclivis peccare iterum, *ad peccandum.*  
 Extrahere lites callidus, *extrahendi.*  
 Suamēt vidisse pericula cæcus, *ad videndā.*  
 Difficilesque capi damæ, *ad capiendum, captū.*  
 Æquus componere lites, *in componendis.*  
 Pangere metra habilis, *ad pangenda.*  
 Tam cæpisse dolosa, quam facilis hamo capi, *mulier.*  
 Res crystallina lædi, insueta domari, *oculus, etc.*

---

## C A P U T II.

DE MUTATIONE NOMINIS  
SUBSTANTIVI, et ADJECTIVI.

## S E C T I O I.

*De Mutatione Substantivi in Verbum.*

Persæpe Substantivum Verbale mutari potest in Verbum, a quo proficiscitur; cuius In-

finitum Præsentis, aut Imperfecti partes Nominativi, aut etiam Accusativi agat, v. gr. Mendacium foedum, *foedum mentiri*. Si vero Dativus sit, aut Ablativus, in Gerundium in do vertitur, ut: Hostes latratu fugavit, *latrando fugavit*. Sic:

Tristis migratio fuit, *Triste migrare fuit*.

Narratio tua me oblectat. *Me narrare tuum oblectat*.

Fuga turpis est. *Fugere turpe*.

Quot Juvenes perdit amor insanus? *Insanum perdit amore*

*Ægrotatio molesta. Ægrotare molestum*.

*Mutatio auræ salubris. Mutare auram salubre*.

*Meditatio alit artes. Meditari*.

*Lectio te doctum facit. Me doctum legisse facit*.

*Turpe lucrum non durat. Turpe lucrari*.

*Sæpe malis medemnr oblivione. Sæpe malis obliviscendo medemur*.

*Si posses luētu mala levare. Mala si posses lugendo levare*.

*Sirenes dolosas fuga vinces. Sirénes vinces fugiendo dolosas*.

*Carnem doma jejunio. Jejunando doma carnem*.

*Jocos joco elude. Jocando elude*.

*Iram precibus mollire. Iram mollire precando*.

*Præda vivunt. Praedando vivunt: vivuntque rapinis*.

*Quid sectio juvat? Quid secuisse juvat?*

*Ille senio periit. Ille senescendo periit*.

*Silentio longo disce loqui. Disce silendo loqui*.

## S E C T I O II.

### *Mutatio Casus.*

**M**utatio Casuum fit *imo* in Substantivis, quorum Verba varium regimen habent, v. gr. Criminis accuso furem, vel *Accuso crimen furem*. Sic:

De nostra salute despero, *vel* nostram despero salutem.  
Quin me spes deficit ipsa, *vel* quin spes deficit ipsa  
mihi.

Dono tibi libros Nasonis, *vel* Nasonis te dono libris.  
Cur vellem prohibere domum tibi? *vel* cur vellem no-  
stra te prohibere domo?

Turpibus indignor factis, *vel* indignor turpia facta.  
Nostras obtrectat laudes, *vel* nostris obtrectat laudibus  
unus.

Simul Urbe, ac Arce potitus, *vel* Arcemque Urbem-  
que potitus.

Pauper eget nummorum, *vel* pauper eget nummis.

**2do.** Fit etiam mutatio Casuum per Figu-  
ram Hellenismi seu more Græcorum, qui cum  
Ablativo careant, ejus loco adhibent *vel Genitivum*, ut in plerisque verbis *Copiae*, *vel Inopiae* *vel Dativum*; ut in verbis Passivis;  
*vel Accusativum*, ut in Nominibus partem si-  
gnificantibus. En horum exempla.

### *Ablativus mutatus in Genitivum.*

Desine querelarum, *pro* a querelis.

Abstinens irarum, *pro* ira.

Fraudatus mercedis abivit, *pro* mercede fraudatus

Quis hunc possit satiare ciborum, *pro* cibis.

Affluo opum, *pro* opibus.

Suorum extorris larium, *vel* suis laribus,

Floridus ævi, *pro* ætate.

Devius æqui, *vel* ab æquo.

Fervidus ingenii, *pro* ingenio.

Integer vita, scelerisque purus.

Innocens morum. Pudoris intaminatus.

Verborum paucus. Donorum parcus.

Judicij rectus. Ingenii limatus.

Flagitii manifestus. Sui occultus.

Jocorum nimius Vindictæ moderatus.

Sententiæ iniunctus. Consilii promptus.

Verborum asper. Varius colorum.

Fidei incorruptus. Arcani taciturnus.

Sævus pœnæ. Donorum insatiabilis.  
 Mentis turbidus. Consilii præceps.  
 Laboris assiduus. Nnummorum pauper.  
 Ciborum immodicus. Verborum profusus.  
 Tuta fulminis laurus.

*Dativus cum Passivis.*

Non audior ulli, *ab ullo*.  
 Nullo mihi cognitus usu, *a me*.  
 Magno cantata Maroni Æneis, *a Marone*.  
 Proles adamata Parenti, *a Parente*.  
 Diligor haud euidem, sed nec fastidior illi, *ab illo*.  
 Nemo plus mihi diligitur, *á me*.  
 Præmia victori non expectata, *a victore*.  
 Plebi defletus obivit, *a plebe*.  
 Creditur id multis, sed non mihi, *a multis, non a me*.  
 Portum nautis prope desperatum, *a nautis*.

*Accusativus Partis pro Ablativo.*

Redimitus tempora lauro, *temporibus*.  
 Lumbos præcincti fune nodoso, *lumbis*.  
 Comas incompositus puer, *comis incompositis*.  
 Ungues aquilæ instar aduncus, *aduncis unguibus*.  
 Ornatus digitos auro, gemmaque, *in digitis*.  
 Unum oculum cæcus, *uno oculo*.  
 Perstrictus pellem teneram, *pelle*.  
 Telo humeros ictus, *humeris*.  
 Os, humerosque Deo similis, *ore*.  
 Scutis protecti corpora longis, *corporibus*.  
 Fœdum colla tumens, *collo*.  
 Stridentia guttura raucus, *gutture*.  
 Sparsos neglecta capillos fœmina, *neglectis capillis*.  
 Cristis capita alta corrusci, *capitibus*.  
 Passa quidem scelus est, sed nil mutata colorem, *colore*.  
 Ipsasque medullas marcidus, *medullis*.  
 Auriculam gemmis ornatus, *auricula ornata*.  
 Ense pedem truncatus, *pede*.  
 Telo dorsum perfossus æuto, *dorso*.  
 Nervos, et brachia firmus, *firmus nervis*.  
 Caput calvus, *capite*.

Oblæsus suras, *suris.*  
 Tremit ossa pavore, *ossibus.*  
 Membra omnia læsus, *membris.*  
 Hirsutum meutum villosus, *mento.*  
 Aures prælongus, *auribus.*  
 Inflatusque genas, *genis.*  
 Gingivas putris, *gingivis.*  
 Dentes albus, *dentibus.*  
 Linguam mutilus, *lingua.*  
 Collum strumosus, *collo.*

**3tio.** Mutantur Casus reliqui in Vocativum, per Apostrophen seu allocutionem Personæ, alioquin alio casu efferendæ. Id quod Poetis frequens, et metri causa commodum. v. gr. Scipiadas duros bello, et te maxime Cæsar, pro maximum *Caesarem.* Sic:  
 Terretur stridore columba, unguibus accipiter saucia facta tuis, *accipitris.*  
 Coronam, quæ posset crines Phæbe decre tuos, pro *Phaebi crines.*  
 Quotquot sunt, Divos, et te Sol maxime testor, maximum *Solem testor.*  
 Has Hyacinthe tenes, illas Amarenthe moraris,  
*Hyacinthus tenet, etc.*  
 Volens, Mars tua signa sequar, *sequar Martis signa.*  
 Pallas tu mihi prima Dea es, *prima est.*  
 Quis te non fugiat perniciosa Venus? *quis perniciosam Venerem. etc.*  
 Regna audax in tua, Pluto, venit. *in Plutonis regna.*  
 Bessosque ferocees, et te fallaci Parthe timende fuga.  
*Parthum timendum.*  
 Ut Pronepos, Neptune, tuus. *Neptuni Pronepos.*  
 Quam vellet sumere pennas, Perseu sive tuas, Dædale  
 sive tuas, *Daedali, Persei.*  
 Veste perit, quam Nesse dedisti, *Nessus dedit.*  
 Donec erunt ignes, - discentur numeri culte Tibulle tui,  
*Tibulli.*  
 Atque Urbes, quas Rhene rigas. *Rhenus rigat.*

Mactatus donis Deianira tuis, *donis Deianirae.*  
Quidquid graciles hac mittitis Indi, *Indi mittunt.*

S E C T I O III.

*Mutatio Numeri.*

**N**umerus Singularis universim in Pluralem, et hic in Singularem converti potest; seu Propria Multidinis, aut Collectiva sint Nomina. Quæ Enallage iterum versificare incipienti, mirum, quanto subsidio est, v. gr. Quæ te tam læta tulerunt sæcula? pro *quod te tam laetum saeculum tulit.*

*Appellativorum mutatus Numerus.*

Priami dum Regna manebant, *dum regnum manebat.*

Ora natant lacrymis, *os natat.*

Supplex tua Numina posco, *tuum Numen.*

Capitolia ad alta feretur, *Capitolium.*

Incerta murmura famæ, *murmur.*

Bella gerit redimicula collo, *redimiculum.*

Et Capitolini splendida Templâ Jovis, *templum.*

Ne videar thalamis insidiata tuis, *thalamo.*

Hæc sunt officiis digna sepulchra meis, *dignum sepulchrum.*

Ibis Cecropios portus, *portum.*

Et tunicas lacrymis sicut ab imbre graves, *gravem tunicam.*

Respice, quæ pando lugubria pectora, *lugubre pectus.*

Impulsæ segetes Aquilonibus horrent, *Aquilone.*

Non libet aurata corpora veste tegi, *corpus.*

Hæc belli tempora tristis agam, *hoc tempus.*

Trojæ heu feralia nomina, *ferale nomen.*

Comitatur funera nata, *funus.*

*Propria in Pluralem versa.*

Hæc Decios, Marios, Magnosque Camillos extulit, *Decium, etc.*

Id possint ipsi risisse Catones, *Cato.*  
 Stantes in curribus Æmilianos.  
 Nec vereor Minoas, nec Rhadumanos, *Minoem*, etc.  
 Ajaces desint, et Protesilai, *Ajax.*

*Nomina Multitudinis in Singulari.*

Hostis habet muros, hostes habent.  
 Hos Senonum motus. *Cimbrumque ruente vidimus,*  
*Cimbros.*  
 Externis miles Romanus in oris, *milites Romani.*  
 Parthum vicit, Medumque, *Parthos, Medos.*  
 Extremum Macedo penetravit ad Indum, *Macedones ad Indos.*  
 Nostro rescissus ab orbe Britannus, *Britanni.*

*Nomina Collectiva cum Plurali.*

Plebis vis ingens eo concurrere, *concurrit.*  
 Pars in frusta secant, *secat.*  
 Thura ferant pia turba Quiritum, *ferat.*  
 Collectus populus clamant, pugnantque, *clamat.*  
 Luduntur uterque, *luditur.*  
 Freques ita decrevere Senatus, *Senatores.*  
 Conjurat cum Patriis ignobile vulgus, *conjurat.*

## S E C T I O . IV.

*De Mutatione Generis, et Personae.*

**M**utatur Genus Substantivi, ut jam nunc de Numero Collectivorum Nominum diximus, et in Syntaxi de Concordia traditur, v. gr. Pœnorum duo millia cæsi, pro *caesa*. Grex totus scabie unius et prurigine tacti, pro *tactus*.

Sunt item quædam Nomina diversi Generis, ut: hic pileus, helleborus; vel hoc pileum, helleborum. Hæc barbitus, hoc barbiton, etc. Verum hæc pauca, nec memoranda sunt.

Persona mutatur, cum Casus per Apostrophen in Vocativum vertitur, v. gr. Urbes tu Rhene rigas, *Rhenus rigat*. De quo supra.

SECTIO V.

De Mutatione Adjectivi.

**N**omen Adjectivum mutatur *imo* in Substantivum. *2do* Præsertim cum materiam, vel Possessionem significat. *3to* In quasi Substantivum more Græcorum. *4to*. In negationem duplicem. *5to.* Positivus in Comparativum, aut vicissim.

Mutatur Nomen Adjectivum in Substantivum.

*Argutum dictum*, *Argutia* dicti.

*Candidum pectus*, *Pectoris intactus candor*.

*Annosus senex*. Jam multis *prægravis annis*.

*Astuti pueri*. *Puerorum astutia*.

*Artificiosum opus*. *Ar's operis*.

*Armati timendi*. *Arma timenda*.

*Asperi mores*. *Asperitas morum*.

*Audax vincit*. *Audacia vincit*,

*Anxius est*. *Anxitate premitur*.

*Clemens Dominus*. *Domini clementia*.

*Dolosum hominem nosco*. *Dolos hominis*.

*Dulcia sæpe trahunt*. *Trahimur dulcedine*.

*Exulem solabor*. *Exilium miseri solabor*.

*Fumosam vitare tabernam*. *Fumum. vitare tabernæ*.

*Frigida Hyemis, frigus*.

*Fervidus in studiis*. *Magno fervore studet*.

*Fulgentia arma*. *Armorum fulgor*.

*Fallax vulpes*. *Vulpis fallacia*.

*Furibundum compesce*. *Compesce furorem*.

*Horrida sylva*. *Sylvæ horror*.

*Neglectus Juvenis*. *Neglecta Juventus*.

*Levis puer*. *Insigni levitate puer*.

*Macilentus ille*. *Macies hominis vicina periculo est*,

*Pudicus laudandus est*. *Laudandus pudor est*.

*Scelerati, et impii triumphant*. *Scelus, impietasque triumphant*.

*Seditiosi venti*. *Seditio ventorum*.

*In*

*Inclementes* Divi. *Inclem̄tia* Divorum.  
*Voluptuosi* lassati. Lassata *voluptas*.

Huc pertinent imprimis Nomina Gentilia,  
 ac Patria, sic:

*Bactriani* minantur. *Bactra* minantur  
*Ægyptii* dediti idolis. *Ægyptus* dedita.  
*Parthus* indixit bellum. Indixit *Parthia* bellum.  
*Romani* suis exciti sedibus. *Roma* suis excita est sedibus.  
*Germani* Romanos fasces metuunt. Metuit *Germania*  
 fasces.  
*Italos* sequimur *Italianam* sequimur.  
 Ad *Sarmatas* missus. In *Sarmatiam* missus.  
*India* mittit ebur *Indi*.

Item Nomina, quæ Possessionem significant, v.g.

*Patriae* ædes *Patris* ædes.  
*Maternæ* lacrymæ. *Matris* lacrymæ.  
*Cælestis* Regia, Regia *Coeli*.  
*Pompejanus* Eques. *Pompeji*.  
*Paterna* veste. Veste *Patris*.  
*Homericus* versus. Versus *Homeri*,  
*Apollineum* Oraculum. Oraculum *Apollinis*.  
*Quirinalis* Flamen, Flamen *Quirini*.  
*Vestalis* Sacerdos, *Vestae* sacrata Sacerdos.  
*Junonia* avis, *Reginæ Junonis* avis.  
*Saturnia* proles. *Saturni* filia, etc.

Item Adjectiva materiam significantia, v.  
 gr. *Eburnea* Cythara. Cytharæ vocalis *Ebur*.  
 Sed de his alias erit dicendi locus, cum de  
 locutione agetur.

2do. Mutatur Adjectivum per Figuram  
 Hellenismi, cum substantive ponitur, in ge-  
 nere neutro, et numero plurali, subsequentे  
 Substantivo v. gr.

*Abditæ* res, *Abdita* rerum.  
*Profundæ* fossæ. *Fossarum* metuenda profunda.

*Consiliorum occulta revelat.*

*a viarum.*

*Terrarum immensa, marisque.*

*Per opaca locorum.*

*Vamporuin plana resident.*

*s. Alpium inaccessa.*

*s. Declivia montis.*

*a. Pratorum florida.*

*vix. Salebrosa viarum.*

*Agrorum cultura.*

*peri. Supera cælorum.*

*nugas depone. Nugarum deponito vanæ.*

*imes colles. Sublimia collum.*

*enæ valles. Vallum amoena.*

*Inanes fabulas. Inania fabularum.*

*Amaræ curæ. Amara curaruim.*

*Horridæ rupes. Horrida rupium.*

*Incerta Comitia. Comitiorum incerta.*

*Arduæ turres. Ardua turrium.*

*Angustæ viæ. Angusta viarum.*

*3tio. Mutatur Adjectivum per æquivalen-*  
*tiam, nempe per particulam non, et Præposi-*  
*tionem in, quæ in Nominibus negationi æqui-*  
*valet, v. gr.*

*Non implacabilis ira. Placabilis.*

*Non ignara mali. Gnara.*

*Non insuave melos. Suave.*

*Non inficeta fabula. Faceta.*

*Non inamoena dies. Amoena:*

*Non indecoro pulvere sordidus. Decoro:*

*Et doctus, nec inhumanus. et Humanus:*

*Non indocilis cecinisse cicuta. Docilis.*

*Non inimica quies. Amica.*

*Non imbellia tela. Bellacia:*

*Non immedicable vulnus. Medicabile:*

*Non incredibilem rem narrat. credibilem:*

*Non inhospita tecta. Hospitalia.*

*Nor injucundo sermone retentus. Jucundo.*

*Non illaudatam yixisse Juventam. Laudatam:*

Non immemor esto. *Memor.*  
 Non inopinatus venisti. *Opinatus.*  
 Non impare versu certabant. *Po<sup>3</sup>.*  
 Non impolitis moribus. *Politis.*  
 Non incomposito vultu. *Composite.*  
 Vir non instrenuus. *Strenuus.*  
 Non innoxia, verba. *noxia.*  
 Jus non insipidum. *Sapidum.*  
 Non illaudabile carmen. *Laudabile.*  
 Ripas transgredi *inaudax.* Non aud.

4to. Mutatur denique Adjecti-  
 du Positivo in Comparativum, aut  
 vum, v. gr.

Quo non formosior alter.  
 Quo non immanius ullum flagitium.  
 Quo justior alter nec pietate fuit: nee bello  
 et armis.  
 O ter, quaterque beati.  
 O nimium dilecte Deo.  
 Ter felix, ter fortunatus.  
 Tristissima noctis imago.  
 Fons vitrea limpидissimus unda.  
 Martisque simillimus Heros.

Atque hæc fere sunt, qnæ de Syllabarum Dimensione, et Arte Metrica Syntaxi adjecta sunt, non tam, ut hic Versus componantur, quam, ut e' regulari Syllabarum mensura, verus ac naturalis in enunciatione Verborum sonus procuretur, et euphonia orationis ope Prosodiae obtineatur. Tum vero e variis mutationibus Nominis, et Verbi Adolescentibus Copia accrescat, judiciumque firmetur: quae, si in suprema Grammatica paulum præmansi fu- erint, ad Humanitatis Scholam transeuntibus pro face erunt, et Viatico.

A. 624.500

1526 ad  
243

